






WIDENER LIBRARY
HX JGZC 3



*

DE ARIO MULTISCIO

ANTIQVISSIMO ISLANDORUM HISTORICO,

SPECIMEN INAUGURALE,

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

IN COLLEGIO REGIO

d: IX Julii

PUBLICE TUEBITUR

ERICUS CHRISTIANUS WERLAUFF,

BIBLIOTHECÆ REGIÆ AB EPISTOLIS.

RESP. ORNATISS. ANDREA FAABORG MÜLERTZ

SEMINARII PÆDAGOGICI ALUMNO.

A. Müller
1852.

HAFNIÆ 1808.

Typis ANDREÆ SEIDELINI.

Præclaram de rebus patriæ antiquis scientiam demonstrat inaugurale hoc specimen, dignumque censet Ordo Philosophorum, quod pro summis in philosophia honoribus impetrandis publicæ opponentium disquisitioni subiiciatur.

Abrah. Kall.

Decan. Facult. Philos.

VIRO

DE PATRIIS MUSIS MERITISSIMO

D. G. MOLDENHAWER!

FAUTORI ÆTERNUM COLENDO,

IN EXIGUUM GRATITUDINIS

NUNQUAM PERITURÆ DOCUMENTUM,

HANC OPELLAM,

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA,

SACRAM ESSE JUBET

AUCTOR.

L. S.

Cum de materia, pro Specimine inaugurali tractanda, mihi circumspiciendum erat, talem, ex qva fontium historiæ vernaculæ crisi lux nonnulla affunderetur, præoptandam duxi. Monographiæ autem de qvodam nostro ævi antiqvioris Historico, qvalem de Sæmundo *nobis donavit A.* Magnæus, *periculum facere constituenti, statim succurrit vetustissimus Orbis arctoi Annalista, cujus fidem historicam a nemine hactenus suspectam,* Adelungius *V. Cl. primus in dubium vocavit. Omnibus, qvæ ad vitam &*

scripta Nostri illustrandum facere potuerunt, congestis, adversariisqve A. Magnæi de eodem diligenter excussis, nil, ad hanc materiam qvodammodo pertinens, omissum esse certus scio.

Ut hanc meam opellam lector boni consulat, rego obsecroqve.

PROEMIUM.

Universa prope Scandinaviæ continens incolas suos jam habebat, cum inculta adhuc latebat Islandia nemini nota, nisi paucis navigantibus, qvos coeli intemperies in eadem hiemare forte coëgerat. Famam, nomen et incolas nacta est sub finem seculi noni, tempore, qvo disjecta Scandinaviæ membra veluti in corpora coalescere coeperunt. A navigante qvodam fortuito reperta, gratum mox exstitit refugium iis, qvos patriam linqvere res novæ compellebant. Eorum, qvi in insula consederant, plurimi ex Norvegia oriundi erant, pauci ex Dania et Svecia, paucissimi extra Scandinaviam; unde eosdem et regna borealia freqventia intercedebant et varia

commerciorum genera. Christianam religionem amplexi sunt anno 1000, et aristocratiæ seu verius Oligarchiæ atqve anarchiæ, qvæ foecundissima bellorum civilium mater extitit, pertæsi, Anno 1264. regno Norvegiæ civitatem suam dediderunt.

In Historia universi Septentrionis episodium nullius non momenti exhibet Islandia, litteratura sua vernacula famam inprimis consecuta. Insignis extat copia poëmatum, historiarum, fabularum, Annalium &c. ab Islandis lingva vernacula (palæo-scandinavica) consignatorum et historiam tam Islandiæ, qvam reliqvi orbis arctoi, egregie illustrantium. Plurima horum anonyma sunt, maxima tamen pars Chronographis XIV. islandicis Secc. XI - XIVtum florentibus, non sine ratione tribuuntur, qvorum tres vetustissimi huic dissertationi materiam præbuere.

Sectio Prima.

Vita Arii.

Pauca sunt atque manca, qvæ nobis de primo Scandiæ Chronographo innotuere; nec verisimile est, vitæ curriculum sacerdotis islandici seculi XImi facinoribus singularibus eventuumve insolentia conspicuum fuisse.

Natus est in Qvadrante Islandiæ occidentali A. Chr. 1067 *a*), parentibus Thorgilso Gelleri

a) *Chr. Wormius* (in Ed. sched. Oxon. p. 178.) *A. Magnæus* (Comm. in Sched. Mss.) *Suhmius* (Tabeller til den crit. Hist. af Danmark Tab. 19.) Alii vero ex. gr. *Resenius* Præf. ad Edd. Fol. m. 1.) *Torfæus* (Ser. Reg. Dan. p. 43.) *Bussæus* (vita Arii in ed. Sched.) *F. Johannæus* (Hist. Eccl. Isl. T. 1. p. 195.) *J. Wormius* (Lex. over lærde Mænd) eum A. Chr. 1068. natum esse statuerunt. De qvo dissidio exigui sane momenti, pauca mihi disserere liceat. De anno ejus natali bina in *Schedis* ipsius loca extant, qvæ primo intuitu haud conciliari

filio et Joreida. De stemmate genealogico paterno *Schedis* subjuncto infra in Sect. VI. agam. Qvisnam avus illius maternus fuerit, nescimus, aviam vero Gudridam habuit, filiam Thorsteini, neptem Halli Sidensis, cujus tritavus erat Ragnvaldus, famosus Moeriæ comes originem a For-

posse videntur. Cap. IX. (Ed. Bussæi p. 58) se anno emortuali Episcopi Isleifi duodecennem fuisse dicit (qvod etiam habent *Kristni Saga* p. 108. et *Heimskringla* Præf. p. III.) et eod. cap. p. 56. annum post emortualem patrui sui Gelleri sibi ætatis septimum fuisse, scribit. Ep. Isleifus A. Ch. 1080. obiit (*Johann.* H. E. J. T. 1. p. 267.) Ergo A. Chr. 1068. necesse natus esset? Gellerus vero, ut postea demonstrabitur, A. Chr. 1073. obiit, et sic A. 1067. natalem haberet? Alius insignis autoritatis scriptor *Snorrius* (Præf. in *Heimsk* p. III.) eum A. Chr. 1067. sive anno post emortualem R. N. Haraldi Sigurdi f. (1066.) natum esse perhibet, et in hoc anno consentiunt plurimi Islandorum annales v. c. *Annales Regii* (*Scr. Rer. Dan.* T. III. p. 45.), *Annales Flateyenses* (Mss.) &c. qvocirca hunc ipsi natalem fuisse recte statuimus, imprimis cum A. Magnæus (Comm. in Sched. Mss.) patrem illius sub finem A. C. 1066. obiisse, refert, qvod unde habeat, mihi sane non liqvet, verum immortalis viri etiam in talibus minutiis ἀκρίβειαν nemo ignorat. Ideo *Schedis* p. 58. vel annos XII. completos (usqve ad A. C. 1079.) modo computavit, vel lapsu calami XII. pro XIII. scriptum est.

nioto illo, tenebris mythicis obvoluto, jactans. (*Stemma geneal. ad calcem Schedarum, Landnama bok ed. Hafn. pag.* 305. *Tab. geneal. ad calc. Kristni S.*) Filio adhuc impube Thorgilsus cum toto navis præsidio in sinu Hvammensi (Hvamsfiord *b*)) periit (*Historia Laxdalensium s. Laxdæla Saga* Mss.). Ex *Schedis* (ed. *Bussæi C.* IX. p. 56.) constat, avum paternum Gellerum *c*) domo sua Nostrum excepisse et educandum curasse. Sed brevis fuit hæcce commoratio; avus enim jam senex factus peregrinationem sacram Romam versus instituit, unde post tempus aliqvod in Daniam se conferens, ibi morbo correptus A. Chr. 1073. obiit (*Laxdœl. S. Ann. Reg.* in *Scr. Rer. Dan.* Tom, III. p. 46.) *d*). Qvid dein ex Nostro fac-

b) Sinus Hvamsfiord dictus, in sinum Breidafiord Qvadrantis occidentalis maximum Islandiæ sinum se exonerat *E. Olafsens* og *B. Povelsens Reise igiennem Island* 1 D. S. 374.

c) Gellerus inhabitavit prædium Helgafell Qvadr. occ. *Olafs. Reise* 1 D. S. 364. De illius apud S. Olaum commoratione, cujus nomine legationem in Islandiam suscepit, vide *Heimskr.* T. II. p. 210. 231 et 282.

d) Hoc iter A. C. 1070 vel 1071 instituit, tempore enim breviore Romam adire et exinde ad Daniam reverti neqvivit.

tum, ipse docet (*Schedis* Cap. IX. p. 56.) "Ec "kom oc til Halls *e*) VII. vetra gamall, vetri ep- "tir þat er Geller þorkelsson, foþorfaþer minn "oc fostri andadisc oc vasc þar XIIII. vetur" ɔ: "Ego qvoqve septennis ad Hallum educandus ve- "ni, uno anno post obitum Gelleri Thorkilli f. "avi mei paterni et nutricii, ubi XIV. annos "transegi" Contubernalium cujusdam Teiti Is- leifi Episcopi filii *f*) eodem cap. mentionem fa- cit; "þar var ec þá med Teiti fostra minum XII. "vetra gamall" ɔ: "Tunc ego annorum XII. una- "cum Teito nutricio meo ibidem fui". Exse- qviis nempe Isleifi Episcopi adfuit, consentiente *Kristni-Saga* (C. XII. p. 108. Ed. Hafn.). Hallus

e) De hoc viro ejusque Schola vid. *F. Johann. H. Ec. J.* T. I. p. 192.

f) Teitum Noster duobus locis suum *Fostra* appellat, qvod vocabulum islandicum triplici gaudet signifi- catione: educatoris, alumni s. discipuli et condi- scipuli s. coalumni. Prima significatione Noster utitur Sched. p. 56 de avo suo paterno Gellero verba faciens. Tertiæ significationis, qvam *F. Jo- hann.* (H. E. J. T. I. p. 193.) vocem, degenerante lingvæ puritate, nactam esse credit, exempla oc- currunt in *Krokarefs Saga*, et *Saga af Hörde oc Holmverium* (vid. *Gloss. in vitam Nialis* p 678) Haud absimile est Nostrum l. c. voci hunc sensum tri- buisse; etsi p. 16. usitatius *Fostbrodir* habet.

obiit A. Chr. 1090; & sic Noster Haukadalium ante mortem ejus reliqvisse videtur (confr. *Wormii ed. Sched.* p. 108.). Qvo autem hinc abiens concesserit, ex antiqvis haud constat. *F. Johannæo* (*Hist. Eccl. Island* T. I. p. 195) probabile videtur, eum in occidentali insulæ Qvadrante prædia habuisse ubi saltem majores ipsius et posteri habitabant qvorum qvidam divites et prætorii erant viri. Prædia illa fuere vel Helgafellum, qvod avus illius Gellerus possedit, vel Stadarstadum, ubi postea habitavit filius illius Thorgilsus *g*). *Arnas Magnæus* (*Annott. in Sched.* Mss.) credit eum circa hoc tempus matrimonium iniisse, eamqve præturæ Thorsnesiensis (þorsnesingia godord) partem adeptum fuisse, qvam nepos ejus ex filio Arius Robustus, hujusque gener Thordus Sturlæ filius, postea administrarunt.

Verum id certo contendere videmur, eum nunqvam exteros adiisse, vel solum, vel tanqvam comitem *Sæmundi multiscii*, cum nec ipse nec ullus veterum aliqvid de tali peregrinatione tradat. Islandus qvidem aliqvis in historia suæ patriæ non optime versatus, *Resenio*, laborioso,

g) Utrumque in territorio Snefieldsnæs in Qvadr. occ. situm est.

sed omnis ingenii critici experti scriptori, hanc fabulam pro vero vendidit, (*Præf. in Edd. Resen Præf. in G. Andr. Lex. Isl.* p. 12.) qvem iterum secuti sunt *Bussæus, Gebhardi* (*Norg. Hist. dansk Overs.* T. I. Fort. LXI.) *Murray* (*Comm. Gött.* Vol. II. p. 57. *Adelung* (*Beckers Erholungen* 1797. Tom. IV. S. 143) et forte plures *h*). *F. Johannæus* hunc errorem primus detexit (*Hist. Eccl. Isl.* T. I. p. 193.) "Sæmundus ex peregrinatione "in patriam reversus est, circa vel ante A. Chr. "1077. (*Sched.* Cap. IX. p. 56. *Annal. Reg. in S.* "*R. D.* T. III. p. 46. *Annal. Flateyenses* Mss. ha-"bent 1076. *Ann. Scalholtenses* 1078. cfr. *Vitam* "*Sæmundi* ante *Eddam Sæmundi Ed. Hafn.* p. "11.) id est Legiferum agente Sighvato Sorlio - " - - - Et dabimus reditum Sæmundi in ulti-"mum Sighvati annum, ut vult Torfæus Ser. "Reg. Dan. p. 40., qvi est 1083., sed ætatis Arii "XV. (XVI?) incidisse, nil tamen evincit. Nam "Arius Haukadali ad minimum usque ad A. 1090 "(1088.) degit.

h) Miror *J. Erici* (diss. de peregr. p. 88) in eodem errore versatum fuisse, itemqve auctorem ingeniosissimum in Diario *Zeitung für Litteratur und Kunst in den Königl. dänischen Staaten.* 1807. No. 10.

Tempore Gissuri Isleifi f. secundi Islandiæ Episcopi, unacum aliis viris dignitate præclaris sacerdotio inauguratus fuit: "þa voru flestir Virdinga menn lærder oc vigder, oc lærder til presta þó at höfdingiar væri, svasem var - - - - *Are hinn Frode*". *Kristni Sag.* C. XIII. p. 116.

An uxorem unqvam habuerit, nescimus, etsi sacerdotes islandicos illo seculo non coelibes fuisse novimus *i*). Filium certe habuit Thorgilsum Presbyterum (A. C. 1188. Ann. Reg. l. c. p. 62.) nepotemqve ex hoc Arium Robustum neptemqve Hallfredam Magno Presbytero Helgafellensi nuptam *k*).

Obiit Noster A. C. 1148. (*Ann. Reg.* l. c. p. 55. *Ann. Flateyens.* Mss. cfr. *Wormii Ed. Sched.* p. 184.) die IX. Novbr. (*Necrolog. Islando-Norv. Scr. Rer. Dan.* T, II. p. 517. H. Ecc. J. T. I. pag. 598. cfr. *Wormium* l. c.) *l*).

De nomine Nostri pauca mihi dicenda sunt.

i) Thorlacus Thorhalli f. primus episcoporum Islandiæ clericis matrimonium interdixit circa A. C. 1179. iussu et instinctu Eisteini Archiepiscopi Nidrosiensis.

k) Errat igitur *Bussæus* (vita Arii) Arium Robustum Nostri filium credens.

l) In *Historia S. Olavi rhythmica*, ab *Hadorphio* 1675. edita, p. 2 et 3. seqventia de Ario occurrunt, qvæ

Ari est nomen proprium masc. in chrónicis antiqvis freqventer obvium qvod adhuc Islandia servat, æqve ac *Örn* et plura veterum nomina

hic inserere placet, partim qvod qvædam eorum alibi me legisse haud memini, partim ut videat lector, qvanta cum cautione hisce medii ævi rhythmistis utendum sit:

"Han skreff om Norge oc Island,
Swerike Danmarck och Engelland;
Han kom ett Barn til Hökedaal,
Hafde ey meer än VII aar til taal,
Ther bygde Haralder Sigordzson
Wiis och sniäll med storan mon ·
Tha Yszland war christnad arit näst
Thet mintis Haralder aldra bäst.
IIC Aar var Yszland bygdt,
Förän til Norge kom det rycht,
Olaff Tryggeszon uthan meen
Bygde Köpstad Throndheem,
Thet mintes alt then samma Haralder
IV aar och XC var hans alder".
- - - - - - - - - - - - - - -
Ari säger om gammal Lagh
At engin döder laa i Graaf,
Alla döda skulla brännas,
At ey been äller bryske skulle kännas
Walbyrdoga man i Jord höga
Steen-röor om thera graaf föga;
Ari skreff om Norges land.
Ther waro saa menga Herra ibland
Grefwa och Jarla the villa at styra
Engin ville androm fyra &c.

propria, a nomine appellativo *Ari* m. (aqvila) derivatum. (*Erici Tract. de nom. propr.* p. 36.) *m*);

Bina cognomina Nostra tribuerunt antiqvi *hinn frodi* et *hinn gamli.* Prius est declinatio definita adjectivi *frodr.* doctus, eruditus, sapiens (*Gloss. Edd. Sæm*). non qvidem Doctorem denotans (*Wormii Litt. dan.* p. 38.) sed multifaria scientia instructum, inprimis historica; plurimi enim veterum hoc cognomine gaudentes chronographi fuerunt, videlicet *Sæmundus*, *Kollskeggus*, *Brandus*, *Sturla Thordinus*, *Styrmerus*, *Oddusque monachus n*). Objiciat aliqvis Chronicon *Landnámabok* mentionem facere Finnbogii (p. 79.) et Thorolfi (p. 264.) utriusque *hinn frodi* dicti, et in *Historia Sti. Olavi* (Mss.) ubi de constitutione limitum inter reges Norvegiæ et Sveciæ sermo est, nominari qvendam Thorsteinum

m) *G. Pauli* (Gloss. ad Edd. Sæm. p. 418.) hoc nomen proprie significans aratorem a v. *at eria*, arare derivat. Memini in qvodam carmine vetusto a Snorrio citato Odinum vocari *Ara hinn gamla* ɔ: aqvilam annosam.

n) Ex poetis, unicus qvantum ego scio, *Thiodolfus Hvinensis* auctor carminis genealogici ynglingatal hoc cognomine gaudet.

hinn froda *o*) qvos tamen nil literis mandasse constat. Ei vero respondeo, dictos homines, etsi eorum industriæ literariæ nulla habeamus documenta, scientia forte historica pro eo tempore satis insigni polluisse, id est: carminum, fabularum, relationumqve de fortibus patrum factis, bonam partem memoria tenuisse, qvæ causa exstitit honorificæ illius appellationis, hodie adhuc in Islandia obtinentis (*Olafsen om Nord. gamle Digtekunst* p. 9.); eoqve respectu auctorem *Hungrvakæ* (p. 2.) Gissurem Halli f. *hinn froda mann* salutare credo (cfr. *F. Johann. H. E.* T. I. p. 196 et 97.) *p*). Etsi vero huic cognomini, eruditio Nostri historica præcipuam dedit occassionem, ultro tamen concedo, illi plurium scientiarum aliqvam pro suo tempore et patria notitiam, non sine verisimilitudine tribui. Credere licet, eum nec Theologiæ qvalem id tempus ferebat, nec lingvæ latinæ *q*) nec artis com

o) Codicem Flateyensem, hoc loco Ari frode præferentem, haud curamus, ceteri enim codices omnes Thorsteinum habent.

p) Etiam Poeta *Thiodolfus Hvinensis* per *froda menn* viros temporis acti scientia claros intellexit; vid. rhythmos ejus de Domaro in *Heimskr.* T. I. p. 23.

q) Qvædam saltem latina vocabula in Schedis occurrunt de qvibus infra.

putisticæ, qvod saltem *Schedar.* Cap. IV. innuere videtur *r*), fuisse ignarum.

Alterum cognomen *hinn gamli* sola *Kristni Saga* ei tribuit (p. 104.) nec id ob ætatem ejus insignem, ut qvidam volunt, (*Wormius* p. 184. *Bussæus in vita Arii*), verum potius, ut a nepote Ario Robusto posset distingvi. Eodem modo *antiqvus* vocantur R. Waldemarus II., ne cum filio Waldemari ante patrem mortuo confundatur, R. Haqvinus Haqvini f. cujus filius Haqvinus rex proclamatus ante patrem obiit, Canutus M. &c.; et sine dubio poëtæ Bragius et Starkadus, cognomen antiqvi eadem de causa singuli obtinuere (cfr. *Heimskr.* T. III. p. 2. 3. *Scr. Rer. Dan.* T. I. p. 54. not. o.)

r) Errat vero Editor *Rymbeglæ Steph. Biörnonis* (Præf.) Nostrum in opere Bedæ Computistæ primarii versatum fuisse, exinde concludens, qvod in Prologo Landnamæ opus ejus chronographicum s. geographicum citatur; iste enim Prologus *Haukum* certe *Erlandinum* vel recentiorem aliqvem auctorem habet.

Sectio Secunda.

Opera Arii deperdita vel recentiorum chronicis inserta.

Premuntur ea obscuritate qvadem, partim qvod ipse haud satis clare inter eadem distingvit partim qvod recentiores auctoritatem ejus allegantes haud addunt, suane ex opere qvodam scripto, an modo ex qvadam ejus relatione orali hauserint.

Nostro vulgo tribuuntur:

A. *Historia Islandiæ major* (Islendinga-bók hin stærra Prol. Sched. Præf. Chron. Snorr.);

B. *Historia Regum Norvegiæ.* (Æfi Noregs Konunga Prol. Sched. Præf. Chron. Snorr.)

C. *Schedæ s. libellus de Islandia,* hodie exstans.

Spero autem me probaturum, duo priora unicum opus effecisse, cujus, in rebus qvidem islandicis, emendatum compendium *Schedæ* censendæ sunt.

Ad historiam scriptorum Nostri bina exstant loca classica. Primum habet *Prologus Schedarum.* "*Islendingabók* gerþa ec fyrst biscopom orom þorlaki oc Katli oc syndac bæþi þeim oc

Sæmundi presti. Enn med þvi at þeim licaþi sva at hava, eþa þar viþur auka þa scrifada eo þessa of et sama far, fyr vtan ættartolo oc Konunga-ævi, oc ioce þvi er mer varþ sidan cunnara, oc nu er gerr sagt á þessi, enn á þeirri". ɔ: "In gratiam Episcoporum nostrorum Thorlaci et Ketilli, Islandorum librum primum confeci; qvem et Sæmundo Sacerdoti videndum exhibui. Cumqve liber iste iis placeret, augerique posse videretur, hunc de eadem materia conscripsi, præter genealogias et Regum vitas, adjeciqve illa, de qvibus postea certior factus sum, qvæ in opere præsenti luculentius, qvam in primo tractantur". Alterum nobis exhibet *Snorrius* (*Præf. Heimsk.*).

"*Ari* prestur *inn froda* þorgilsson Gellissonar "ritadi fyrstr manna her á landi at Norrænu "máli frædi, bæda forna oc nya: ritadi hann "mest i upphafi sinnar bokar um Islands bygd "oc lagasetning; Sidan frá lögsögumönnum, "hvessu lengi hverr hafdi sagt; oc hafdi þat ára "tal fyrst til þess er Kristni kom á Island; Enn "sidan alt til sinna daga. Hann tok þar oc vid "mörg önnur dæmi, bædi Konunga æfi i Noregi "oc Danmörk oc sva á Englandi; edr enn stor-"tidinde er giörz höfdu her á landi - - - -

"Hann ritádi sem hann siálfur ségir, *æfi Noregs* "*Konunga* eptir sögu Odds". ɔ: Arius sacerdos "dictus Frode (Polyhistor) Thorgilsi filius nepos "Gelleri, scripsit primus omnium hac in regione, "sermone norvegico, tam prisci qvam recentio- "ris ævi monumenta; Descripsit ille, præcipue "in exordio sui libri, primam Islandiæ habitatio- "nem legesqve ibi constitutas; deinde legiferos "(Islandiæ) recensuit, annosqve, qvibus eorum "singuli jus dixere, annos autem hinc computa- "vit, primum ad religionem christianam in Is- "landia sancitam, deinde ad sua usqve tempora. "Ad qvam rem etiam multa alia adtulit docu- "menta; tam regum Norvegiæ historiam, qvam "Daniæ atqve Angliæ, præter rés majoris mo- "menti hac in terra (Islandia) gestas. - - - - "Scripsit ille ut ipsè testatur historiam Regum "Norvegiæ ex ore Oddi". *Snorrius* annis XXX. Nostro inferior, omnia ejus opera ad manum habuit, et de hoc suo antecessore, notitiam bio- graphico-litterariam præfationi suæ de industria inseruit; ejus igitur verba insignis hic momenti censenda sunt. Eadem cum dictis Nostri probé conciliari possunt. Noster dicit, *Schedas* essè partem operis majoris historiam Islandiæ trac- tantem, mutatam vero et emendatam, genealo-

giis et vitis regum omissis. Eadem habet Snorrius, si verba ejus recto nexu leguntur. Membrum enim "Hann tok þar - - - a landi" a seqventi "Hann ritadi" membro intermedio, minus recte disjunctum est; ejusmodi vero antiqvorum minoris momenti nævis, libenter damus veniam. Talem ergo de hoc opere deperdito ideam ego concepi: Omnia qvæ Noster de Septentrionis universi (Norvegiæ, Daniæ et Britanniæ, qvatenus hanc inter et Daniam non levis necessitudo intercedebat) et inprimis de patriæ suæ historia, de regibus et viris inclytis horumqve prosapiis r), de bellis, annonæ gravitate &c., comperta habuit, in opus, qvod promtuarium universæ septentrionis historiæ merito diceres, congessit. Ex methodo veterum libros scribendi sat nota concludere licet, chronicon istud sic fuisse comparatum. Ordinem enim et concinnam operis dispositionem minus curabant antiqvi, formam materiæ postponentes. A verisimili abhorret, Chronographum illum vetustum bina chronica de materia conscribere voluisse qvam unico facile complecti posset; diversarum enim

r) Vox *Ættar-tall* tam de regum, qvam de Islandiæ occupatorum genealogiis intelligi potest.

Septentrionis civitatum historiæ vinculo arctissimo conjunctæ erant, nec aliqva earum absqve assidua alterius mentione scribi poterat, idqve tam ob bella creberrima, qvam ob varia commerciorum genera incolas intercedentia. Sic etiam in Chronico Norvegiæ Snorrii, et Daniæ et Sveciæ historiam creberrime attingi novimus *s*).

Qvi vero ex opere illo duo fecere, ut *A. Magnæus*, *Wormius* et *Bussæus*, varias protulerunt conjecturas, qvas omnes hic exhibere nimis foret & prolixum et tædiosum.

Vastum illud chronicon prorsus interiit, saltem nil amplius sub Nostri nomine inde superest. Qvemadmodum scripta *Arii* oblivioni dedere, qvæcunque aliqvis ante eum forsan literis mandaverit, sic etiam illa ex parte pessum dedere *Landnáma-bók* et *Chronicon Snorrianum* (*Heimskringla* Ed. Hafn. T. 1. Præf. p. XII. k.) unde nil certi nobis de hoc opere constat. Ipse tacet,

s) *Torfæus* (Proem. Hist. N. Fol. A. 2) hanc sententiam primus fovisse videtur. "Hunc librum eum antea "fusius conscripsisse, vitasqve et res gestas regum "Norvegicorum eodem conplexum esse". Eam vero deinde in *Serie* sua retractavit. Etiam *O. Sperlingius* jun. in Commentariis suis (Mss. in bibl. reg.) adserit, *Islendingabók* genealogias et vitas regum simul complexum esse.

nec alius scriptor antiqvus perfectam illius notitiam dedit *t*). Videamus tamen, num verba ipsius aliorumqve antiqvorum citationes, aliqvam de hoc opere deperdito ideam utcunque nobis suppeditare qveant. Triplex hinc oritur disqvisitio:

A. *De tempore, qvo conscriptum sit.*

B. *De argumento ejus.*

C. *De reliqviis ejus in Chronicis Landnáma-bók et Heimskringla vel aliis forsan scriptis exstantibus.*

A. Verba præfationis, qvibus tradit se chronicon suum Episcoporum Thorlaci et Ketilli Sæmundiqve multiscii *u*) censuræ subjecisse ad annum, circa qvem illud conscripserit, indagandum facere possunt. Thorlacus erat tertius Episc.

t) "Ubi vero ingens volumen historiarum ab Odino ad sua tempora contextum ab Ario Polyhistore dicto". *Brynjolfus Svenonius* in Not. Steph. ad Sax. p. 17. Unde *Svenonius* compertum habuerit chronicon Nostri ab Odino incepisse, nescio. Certe pluribus in litteraturæ islandicæ historia erroribus locum dedere hujus ceteroqvin docti viri temerariæ conjecturæ.

u) Videntur hi trifolium (ut dicunt) eruditorum et Mæcenatum in Islandia tunc temporis confecisse. Consilio Sæmundi uterqve episcopus in jure veteri ecclesiastico componendo utebatur.

Skalholtensis, Runolfi f. A. C. 1118 initiatus et 1133 mortuus (*Fin. Joh.* H. E. J. T. I. p. 274 et 76); Ketillus erat filius Thorsteini Episc. Holensis secundus, qvi A. 1122 Episcopus creatus, Islandiam rediit et 1145 obiit (l. c. p. 328 et 329); Sæmundusque, famosus ille scriptor cognomine *hinn frode* gaudens, A. 1133 defunctus. Hinc manifestum fit, Arium spatio annorum 1122 — 1133 opellam suam composuisse. *A. Magnæus* varias adfert conjecturas, qvarum nulli præ altera favere videtur; credit tamen, Nostrum circa A. C. 1120 scripsisse, nec opus suum ultra hunc annum, qvi etiam in Schedis ultimus, produxisse, et ineditum suis scriniis usqve ad Ann. 1122 servasse. *Suhmio* (*om Odin* p. 75.) magis arridet ea sententia qvæ illud circa annum 1130 compositum statuit. Sed de his jam satis.

B. De argumento lectorem ad verba *Præfationis Snorrianæ* jam supra exhibita, ablego. Etiam de fontibus ex qvibus rerum norvegicarum scientiam Noster hausit, seqventia habet dicta *Præfatio*: "Hann ritadi, sem hann sialfur "segir *æfi Noregs Konunga* eptir sögu Odds Kolls-"sonar Hallssonar af Sidu: Enn Oddr nam at "þorgeiri Afrádskoll, þeim manni er vitr var, oc "sva gamall, at hann bió þá undir Nidarnesi, er

"Hákon Jarl enn riki var drepinn". ɔ: "Scripsit "ille, ut ipse testatur, historiam regum Norve- "giæ, ex ore Oddi, qvi filius erat Kolli, Halli "de Sidu nepos, sua vero Oddus accepit tradita "a Thorgeiro Afrádskoll, viro rerum perqvam "sciente, ejusqve ætatis ut in villa Nidarnes ha- "bitaret, qvando cæsus est Hakonus Jarl, dictus "potens".

Hallus ille Sidensis (*Sched.* p. 34 et 42. *Kristni S.* p. 8. 42. 46. et 90. *Nidls S.* pluries *F. Joh. H. E. J.* T. I. p. 53-55. et p. 63. *Genealog. ad calcem Kristni S.*) erat vir sui temporis in Islandia celeberrimus, cujus in Christianismo apud Islandos (A. C. 1000) stabiliendo insignis fuit autoritas. Annum ejus natalem æqve ac emortualem ignoramus. A. C. vero 998 a Thangbrando baptizatus procerum Islandiæ numero jam habebatur. Plures habuit liberos, ex qvibus filius Kollus (in *Geneal. ad calc. Kristni S.* haud nominatus) gladium a R. Haraldo pulchricomo Rollaugo Ragnvaldi f. donatum possedisse traditur (*Landnámabok* P. IV. C. IX. p. 304). De filio ejus Oddo, qvem *O. Wormius* (*Præf. ad Chron. Norv. P. Clausenii*) Oddkelem Halli f. minus recte appellat, nil mihi occurrit. Præter hosce, verosimillimum duco, Arium plurimis auc-

toribus, in Schedarum libello citatis, usum fu-isse, inprimis Hallo Haukadalensi, de qvo *Snorrius* (l. c.) "Hallur fór milli landa oc hafdi "felag Olafs Konungs enns helga, oc feck af þvi "uppreist mikla: var honom þvi kunnigt um "Konungriki hans" ɔ: "Regiones (varias) lustra-"vit Hallus, inita cum Rege Olafo sancto com-"merciorum societate: inde res ei qvam pluri-"mum auctæ; inde notitia regni istius (Regis)". Huic plurimæ Nostri adeoqve etiam Snorrii de S. Olafo narrationes deberi videntur. Alius apud *Snorrium* (T. II. p. 313) de hoc opere deperdito locus exstat: "þessa grein Konungdóms hans ri-"tadi fyrst Ari prestr þórgilsson hinn Fróde, er "bædi var sannsógull, minnigur, oc sva gamall "madur, at hann mundi þa menn, oc hafdi sö-"gor af haft, er þeir voro sva gamler, at fyrir "aldurs sakir matto muna þessi tidindi, sva sem "hann hefir sialfr sagt i sinom bókom, oc nefn-"da þá menn til er hann hafdi frædi af numit" ɔ: "Hanc regni ejus computationem nobis scripsit "Arius sacerdos Thorgilsi filius, sapiens dictus; "qvi et verax erat et memoriæ tenacis, ætatis-"qve adeo provectæ, ut homines recordaretur, "ipseqve narrantes audivisset, qvi ejus erant "senii, ut ætatis respectu, qvas narravimus res

"gestas possent reminisci, prout ipse dixit suis "in libris, nominans homines, a qvibus res ei "erant traditæ".

Videmus Nostrum ad hoc opus, æqve ac Schedas, concinnandum, traditionibus inprimis oralibus, haud cantilenis usum fuisse, easqve freqventer allegasse. Qvot regum Norvegiæ historias hoc opus complexum fuerit, haud liqvet. Si vero ad tempus, qvo scripsit, eum chronicon suum perduxisse credamus, regnum Magni Cæci forte attigisse putandus est, etsi a Snorrio haud infra S. Olaum citatur *v*).

C. Dictum est *Heimskringlam* libro Nostri ex parte superstructam esse. Idem valet de chronico *Landnámabók x*). Hoc de autoribus, ex

v) De parte operis ejus, qvæ Norvegiam spectavit, ita loqvitur *Torfæus*. (Ep. ad *O. Sperling*, Torfæana p. 142.) "parum constat, prolixane an succincta fuerit; Arii Historia de genere et gestis regum Norvegiæ; sæpius illa a scriptoribus citatur, sed qvalis qvantaqve fuerit, non exprimitur, ego brevem fuisse conjicio. A. Magnæus in schedula mista opinatur hoc chronicon, ab Haraldo Pulchricomo initium sumens, in morte Sigurdi Hierosolimipetæ (1130) substitisse.

x) *Thorlacius*, primus Schedarum *Editor*, Prologo hanc glossam marginalem addidit: "Islendingabok meinast landnáma" ɔ: Islendingabok indigitatur Landnáma.

qvorum scriptis conflatum est, mentionem faciens, Nostrum primum nominat: "Nú er farit "yfir um Landnám þau er verit hafa á Islandi, "eptir þvi sem fródir menn skrifat hafa, fyrst "*Ari* prestur *hinn Frodi* þorgilssun". ɔ: "Jam "occupatio terræ in Islandia, secundum virorum "eruditorum scripta recensita est qvorum primus "erat Arius Thorgilsi" (P. V. CXV. p. 378). Ex verbis *Landnamæ* non satis conspicuis colligo, eam scriptis *Arii* et *Kolskeggii* haud immediate superstructam esse, verum mediate, ita nempe ut *Sturla Thordinus* et *Styrmerus* sua ex illis hauserint, eorumque scripta locupletarint, utque *Haukus* ex omnibus eorum scriptis unum conflaverit, (*F. Joh. H. E. J.* T. I. p. 194). *Biörno de Skardsá* (*Præf. Annal.* p. 2.) *Ario* Landnamam, qvatenus de occupatione agit occidentalis et borealis Qvadrantis, tribuit, et *A. Magnæus*, unum aliqvem virum historiæ de totius insulæ occupatione conscribendæ imparem fuisse asserit. Ceteroqvin plurimi (*Torfæus Proleg. Hist. Norv. C. Worm p.* 184. *F. Joh. H. E. J.* T. I. p. 194) *Landnámam* ab *Islendinga-bók* diversam false statuunt. *Bussæus* (*Vita Arii*) nihil de primis Islandiæ incolis præter ipsas *Schedas* Nostrum scripsisse, et ex iis varia in *Landnámam* traducta

esse memorat, provocans ad dissensum inter *Landnámam* p. 103 (ubi noster citatur) et *Schedas* Cap. VI, qvem tamen nullum invenio *y*).

G. Schiönningius (*Præf. Heimskr.* T. I. pag. XII.) conjicit, tam *Sæmundi* qvam *Arii* opera res norvegicas spectantia, horumve reliqvias in historiæ Norvegiæ compendiis manuscriptis, quæ titulum præferunt vel *historiæ vel catalogi vel genealogiæ regum Norvegiæ* (Noregs Konunga Sögur, Noregs Konunga Tall, Ættar-tall Noregs Konunga) contineri et p. XIX. existimat, augmenta, qvæ codices qvidam *Heimskringlæ* habent, ipsa Heimskringla forte vetustiora esse, disjecta nempe Arii et Sæmundi scriptorum membra; qvo inter alia refert codices *Morkinskinnam* et *Hrokkinskinnam*. Hypothesin huic non absimilem exhibuit *Joh. Erici*, cujus mentionem fecit (*Suhmius* (*Hist. crit. Dan. T. IV. Præf. p. V.*) hanc nempe, ut Codex *Ættar-Tall Noregs Konunga* dictus, inter Mss. Magnæana sub No. 52. Fol. exstans, compendium sit chronici Ariani, a recentiori interpolatum, et ad R. Magnum Er-

y) Nescio, qvid cogitaverit *A. Magnæus*, Arii chronicon Norvegiæ citando in Epp. ad *Torfæum* App. ad Encom. J. Loptidæ p. 86 et 89.

lingi f. continuatum z). *Suhmius* addit Mss. No. 301 - 3. in 4to cum hoc convenire, omniaqve ab Haldano Nigro incipere. Certiora de hac re nos docere, ejus est, qvi, qvod cum *Erici* (*Annott. ad Encomiasten Jonæ Loptidæ* p. 125 et 126) qvivis historiæ borealis cultor vehementer optabit, disqvisitionem criticam de compendiis historiæ Norvegicæ prædictis velit tentare.

Sectio Tertia.

Schedæ de Islandia.

Anteqvam fidem hujus opellæ examinare aggredior, de tempore qvo conscripta est, de scrip-

z) Codicis No. 52 initium hoc est: "Halfdan Svarte "sunr Gudroda Konungs hafdi meiri riki enn hans "Foreldri oc var fiölmennr oc vinsæll" &c. "Halfdanus niger, filius Gudrodi regis, ampliori reg"no qvam majores sui imperabat, copiarum abun"dantia omniumqve favore pollens" &c. Omnes Codices insignem similitudinem præ se ferunt, ita ut ex uno eodemqve originali eos descendere facile concludas; omnesque carmina frequenter allegant.

turæ genere, de locis qvibusdam corruptis et de codicibus editionibusqve succincte mihi agendum est.

A. *De tempore qvo Schedæ conscriptæ sunt.*

Hoc cum Noster more veterum non expresserit, criteriis internis eliciendum erit. Vidimus supra, Chronicon deperditum inter annos 1122 et 33 compositum esse, *Schedasque* hoc opere juniores esse, Prologus arguit. Triumvirorum statim in limine laudatorum pluribus locis mentionem facit, Thorlaci nempe et Ketilli p. 74. Sæmundiqve p. 46. 56. 60, nullibi vero tanqvam jam mortuorum, e contrario duorum priorum ut adhuc superstitum; unde videntur *Schedæ* intra A. Chr. 1133 Thorlaci et Sæmundi emortualem, conscriptæ esse. Porro, Schedæ A. C. 1120 ultimum attingunt. Capite vero X. p. 64. de Gudmundo Thorgeiri f. post Bergthorem annis XII, qvorum ut Noster et Annales docent A. 1135 v. 1136 ultimus fuit, munere Nomophylacis fungente loqvitur *α*). Qvæstio jam oritur,

α) Ex *Sched.* Cap. X. p. 70. ubi narratur Gissurem obiisse eodem anno, qvo Pontifex Max. Pascalis II. R. Hierosolymæ Balduinus &c. id est 1118 (*Ann. Reg.* p. 50.) collato cum eodem Cap. p. 66. ubi Gissur anno nomophylaciæ Bergthorianæ pri-

qvam ob causam Chronicon ejus XV annis ante tempus, qvo conscriptum est, desierit. Aut credendum, hæc de ultimis Nomophylacibus a recentiori qvodam interpolata esse (*Suhm crit. Hist.* T. I. p. 537.) aut (ex conjectura *A. Magnæi*) *Arium* in A. C. 1120 studio substitisse, ut evitaret mentionem dissidiorum post hunc annum inter Haflidium Mauri f. et Thorgilsum Oddi f. obtinentium, qvorum recens tum memoria vigebat ö). Prior tamen sententia mihi magis arridet; *Arium* enim, si de duobus Nomophylacibus ipse locutus fuerit, nil prohibuit etiam mortis Thorlaci et Sæmundi mentionem facere. Hinc liqvet, Schedas brevi post chronicon illud majus literis consignatas esse.

mo tanta ægritudine laborasse dicitur, ut forum universale petere neqvierit, concludendum esset, Bergthorem ab A. 1118 et Gudmundum ab A. 1124 ad 1136, Nomophylacis munere functos fuisse (*Suhm Hist. crit. Dan.* T. I. p. 537). *Annales* vero *Regii*, *Flateyenses* et plures, initium Nomophylaciæ Bergthoris ad A. 1117. Gudmundi ad 1123 et Successoris Rafni ad 1135 ponunt. Ergo annus 1135 vel 1136 ultimus Gudmundi habendus erit.

ö) Hæc referunt *Ann. Reg.* ad 1120 et 1121, de iis consulantur *Kristni S.* p. 124. *Landn. B.* p. 180 *Sturlunga S.* Mss. L. I. c. 26.

B. *Orthographia et Archaismi.*

In Schedis occurrunt complures abbreviationes et signa tachygraphica, qvorum pleraqve in Editione principe expressa sunt. Scripturam referunt Anglo-Saxonicam medio ævo obtinentem, sic pro *kon* in Konung habetur ꝯ; etiam *ng* speciali figura exprimitur. Pro binis consonantibus ejusdem generis littera majore utitur, cujus rationem reddit auctor Skaldæ, ut scriptura tanto compendiosior ac properantior, utque membrana libraria (Bókfell) scripturæ sufficientior fiat. Historiæ Islandorum lingvæ et palæographiæ, lux non mediocris ex *Schedis* affunditur, inprimis si cum vetusto Schedio membranaceo Reikholtensi in H. J. E. T. I. p. 206 et T. IV. præf. impresso conferantur. Qvasdam observationes huc pertinentes exhibet *F. Johannæus* l. c. T. IV. p. 137 qvibus addere licet seqventia: *Syndac* pro synda ec (in Prol.); talis contractio in Edda Sæmundi sæpe occurrit, imo *N. R. Brochmann* (*add. ad Ingv. Vidf. S.* p. 93) eandem in monumento runico deprehendisse sibi visus est. Freqventer alternant s. et r. (vas pro var, es pro er) æqve ac in Edda et runicis, qvod Anglo-Saxonicum refert; item a et e ut in runicis, sic *Aistein* pro *Eistein*, *Rai-*

karvik pro *Reikarvik*; pro terminatione st v. z. habetur sc., sic *bygdisc*, *settusc* pro *bygdist* &c.

C. *Observationes criticæ in Textum Schedarum.*

Ad manus habui schedarum exscriptum qvoddam recens, opera *Erl. Olavii* Stip. Magn. et postea prætoris (Sysselmand), Anno 1735 ex apographo *Joh. Erlandini* No. 113 Fol. inter Magnæana transscriptum. Codex manum sat nitidam et accuratam præferens, simulque collectanea A. Magnæi ad novam Schedarum Ed. complexus, jam Bibl. reg. Havn. ornat.

Inscriptio: *Schedæ Ara præsts froda, Wormio* (*Sched.* p. 91) *Bussæo* (p. 2) *Magnæo* (Comm.) et *F. Johannæo* (H. E. J. T. I. p. 195 &c.) suspicionem movit, cum omnia fere scripta Islandorum anonyma sint, nec credere liceat Nostrum verecundiæ limites adeo transiisse, ut cognomen *hinn frode*, qvod Sæmundo non tribuit, qvoqve procul dubio non coævi sed posteri ipsum honorabant, proprio nomini adderet. Etiam titulo *Schedæ* objici potest, ipsum alterum titulum *Islendingabók* qvasi digito monstrare in Præf. *a*).

a) Verba, qvæ in editione hafniensi prologo præfixa sunt "Thetta er Prologus fyri bók thessi". Editori *Bussæo* debentur.

Prologum excipit brevis *genealogia* Haraldi Pulchricomi usqve ad Olavum Sylvarum Cæsorem.

Seqvitur dein elenchus capitum, qvem etiam recentiori calamo deberi credo, cum apographum, qvo usus sum et Editio princeps partitionem in capita omnino ignoret.

Tum vero ipsum opus: "Incipit libellus Islandorum", in qvod seqventes mihi occurrunt observationes.

Cap. I. p. 8 ed. Bussæi: "En þat vas DCCCLXX. hic omissa est vox: „ vetra, (hyemum) ut recte observarunt Wormius et Bussæus.

Cap. III. p. 20 "*borgfirder*" hæc vox *Magnæo* observante depravata est, utpote vix alibi occurrens, nec Nostro congrua. Corrigit is *Borgfirþr* ad modum *utlenþr* vel rectius *Borgfirþscr*, cum Cap. V. p. 26 hæc vox occurrat et Cap. IV. p. 22 habeat Borgfirdscr *b*).

Cap. IV. Obscuritatem hujus capitis ex uno alterove vocabulo in autographo vetustate extrito oriri credidit *Bussæus* p. 20; attamen *J. Gammius*

b) Hoc *scr.* respondet latinorum *icus* et forte contractum est a terminatione gentilitia *verskur*, Ex. gr. *Romverskr* (Romanus). *þydverskr* (Germanus) &c. adeoqve vel a verbo: *at vera* (esse) vel a subst. *ver* (vir) derivandum.

in *Schediasmate* suo ad hunc locum Schedis subjuncto, omnia ex verbis ipsis, prout exstant in Editionibus, explicavit *c*). Eodem Cap. p. 24. "sva at allir menn myndi þegn varþ". Hic locus etiam in Ed. Skalh. et Oxon. absqve correctione exstans sensum nullum præ se fert. Magnæus legit "allir menn myndi þagna viþ meþan" et Bussæus l. c. þeigandi verda; prior lectio melior censenda est *d*).

c) Consulantur de hoc loco, qvi rem majorum nostrorum computisticam tractarunt, inprimis *G. Schöning de Anni ejusque apud veteres Septentrionales computandi ratione* Progr. I. p. 9. III. p. 33. *S. Bring Monumenta Scanensia* p. 82. 84. Ej *Swea Rikes Historia* I D. S. 454-57. *E. Fryksellii Diss. de Antiqvitate Calendarii runici* p. 13-15.

d) Inter Mssta Bibl. Reg. Hafn. (No. 1812 4to) asservatur Codex membranaceus varia computistici, maximam partem, argumenti, diversis manibus exarata continens, ab *J. Erici* (*Udsigt over det Kgl. Bibl. Manuscriptsamling* p. 45-46) fuse descriptus, S. *Biörnonis* vero Editionem *Rymbeglæ* adornanti incognitus. Continet præter alia fragmentum computisticum juxta *Erici* (*l. c.*) Sec. XII. vergentis v. XIII. ineuntis, in quo extat relatio de Thorsteino Nigro, ipsissima prope Nostri verba præferens, qvam integram, propria Codicis Orthographia, hic inserere lubet, utpote qvæ ad hanc lectionem emendandam plurimum facit: "Ener spocosto "menn a islandi hugþo tal i tueim misserom. CCC.

Cap. V. p. 26 *Es næst vas veit vagi* pro hac lectione mendosa *Bussæus* substituit *veit vĩgi* mi-

daga. oc IIII. þat verþa vicor. II. ens setta tegar. en monoþr XII. XXX nattar. oc dagar. IIII. umbfram. þa merkþo þeir at solar gangi at sumar munaþi aftr til vars. en þat Kunni engi þeim at segia at degi einom vas meirr an vicom gegndi oc þat olli. Enmaþr breiþfirþer hét þorsteinn Surtr. hann vas son hallsteinns þorolps s. mostrar sceggia. þess er nam þorsnes lond. oc oscar þorsteins dottr ens rauþa. Ann droymþi at hann veri at logbergi. þa es þar vas fiolmennt. oc vaka en hann hugþi alla menn aþra sova. Enn siþan hugþesc hann sofna en alla aþra vacna. Enn þann draum reþ Osyfr helgason Suat aller menn myndo þegia meþan hann melti. at logbergi. en siþan es hann þagnaþi þa myndo aller roma. þat es hann hafþe melt. þa como menn til þings oc leitaþi hann þess at logbergi at et VII huert sumar scyldi auka vico. oc freista huesso hlyddi. En menn toko vel undir - - - - ". Cætera desunt; seqvens enim folium, manu forsan recentiore, oritur "*Guþ bauþ Moyses* &c. *Rymbegla* p. 4. Locum hunc latine dedit *Th. Torfæus* (*Hist. Norv.* T. II. p. 126), verum errare videtur, cum auctorem *Johannem Sacrobosco* recentiorem fuisse statuit. Est enim aliud hujus Codicis fragmentum computisticum, Sec. XIV. (*Erici* l. c.) exaratum, adeoqve prædicto recentius, qvod in schemate Systematis Ptolomaici hæc habet: "Sva stendr i Compoto meistara-"na (?) *Johannis* i Paris *af sacrobosko*, er lifdi á "avndverdum dogum *Magnus* Konungs *Hakonarso-"nar*" ɔ: Hæc leguntur in Computo Doctorum

nus feliciter et *Magnæus vettvangi* (locus cædi proximus) qvod etiam habet *Ed. Oxon.* Facile intelligitur *J. Erlandinum* legisse *veit* pro *vett*, et abbreviaturam *ng* apud Nostrum freqventer occurrentem, pro simplici *g* sumsisse.

Cap. VII. p. 34. *Olafr rex Tryggvason* et Cap. X. p. 70 *obiit Pascalis Secundus* et Cap. IX. p. 56 *Haraldur rex;* tribus hisce locis Noster exiguam lingvæ latinæ scientiam, qva forte pollebat, gloriari videtur. Ubique *Bussæus* harum loco voces islandicas substituit.

Cap. VII. p. 40. *Oc hafþi sua nær at þeir myndi beriast at - - - - - - of sa a miþli.* Hic locus manifeste corruptus est. *Ed. Skalh.* lacunam habet post *beriast.* *Ed. Oxon.* ita supplevit. *at (eigi) of sa a mithli*; qvam lectionem etiam præfert *Ed. Bussæi*, ut ipse ait, apographum qvoddam manuscriptum seqvens. Nullus tamen ex hoc loco, me judice, sensus erui potest.

Johannis Parisiensis *de Sacrobosco*, ineunte regno R. *Magni Hakonidæ* florentis. *Johannes de Sacrobosco*, gente Anglus, Mathematicus & Astronomus insignis, claruit Parisiis circa A. 1231, ob. A. 1256, proximo anteqvam f. *Magno (Legum Emendatori) Hakonus senior* nomen Regis dari jussit.

Cap. X. p. 60. *þa vas namn hans rætt.* Sic habet *Ed. Skalh.*, qvod *Ed. Oxon.* per genuinam vertit, *Bussæus* vero rectius legit *rædt* (dictum), a v. at *ræda* (loqvi) qvocum consentit versio A. Magnæi.

Cap. X. p. 68. De Jona Ögmundino, *þá vas hann vetri miþur enn halffertogur.* Sic habet *Ed. Skalh.* et *Bussæi*, sed mendose. Jonam enim postea Ep. Holensem A. Chr. 1052 natum esse affirmat *vita ipsius*, et consecratum 1106 æt. 54 ut ex *eadem*, Nostro, et plurimis Annalibus indubie adstruitur. Recte igitur *Magnæus* corrigit in *halffextogr*, qvam lectionem etiam habet *Ed. Oxon.* etsi prave vertit "qvadraginta annorum excepto dimidio."

Cap. Xmum ultimum libri est, qvod patet ex conclusione finali: *Her lyxc sia Bóc*, ɔ: Hic explicit liber.

Opellam claudit duplex *Appendix.* Prima est stemma genealogicum Episcoporum Islandiæ (*Kyn Byscopa Islendinga oc ættartala*), et secundum nomina prosapiæ Ynglingorum et Breidfiordensium, (*Nafn langfedga Ynglinga oc Breidfirdinga*) qvæ eum in finem adjecta videntur, ut de nomine auctoris lectori constaret, in qvibus observetur superfluum illud F. post þorkels ex-

pungendum esse, cum Thorkillus Thorgilsi non pater sed frater esset.

D. *Codices Manuscripti.*

Autographum Nostri jam dudum periit. Medio tamen Sec. XVII. *Jonas Erlandinus* Presbyter Islandicus, codicem membranaceum, qvem *Brynjolfus Svenonius* A. 1651 per eum exscribi fecit, pro autographo Arii habuit (*Ed. Skalh.* p. 14) qvam ejus conjecturam *Bussæus* et plures pro indubia amplexi sunt. Hoc vero *F. Johannæo* (H. E. I. T. I. p. 194-96) incredibile visum est, argumenta afferenti, primum ipsam inscriptionem, de qva jam locutus sum, et dein loca qvædam in textu occurrentia, tam obscura, mutilata et depravata, ut non *ακριβειαν Arii*, sed exscriptoris vel correctoris oscitantiam sapere videantur. Antiqva insuper illa orthographia et abbreviationes obsoletæ nil ad rem faciunt; pluribus enim si non omnibus antiqvis Islandis illa scribendi ratio familiaris erat, ut perspicuum est ex perantiqvo illo Schedio Reikholtensi, de qvo jam supra. Attamen hunc codicem, sat antiqvum fuisse, qvivis in membranis tractandis versatus facile videt; exscriptores enim Sec. XIII, XIV et XV, orthographiam vetustam haud admodum

curantes, eam ad sui temporis gustum accommodare solebant. Inscriptionem forte recentior qvidam, forte ipse Erlandinus addidit. Locos corruptos et mutilatos in libro tam antiqvo occurrere, nemo miratur, qvis enim sibi persvaserit Erlandinum ubiqve veram lectionem assecutum esse? verbo: Codex hic antiqvus, si non autographum, certe apographum ætate Nostri haud multo inferius, censendus est.

De apographis J. Erlandini, refert *A. Magnæus*, in Schedula, manuscripto Schedarum sub No. 113 Fol. inter Magnæana subjuncta, eorum bina exstare primumque pro accuratissimo habendum; secundum discrepantiam qvandam ab hoc præferre nec ubivis sat accuratum esse. Ex collatione inter hæc apographa et Editionem principem instituta, manifestum sit, hanc in primis secundum, licet deterioris notæ, expressisse.

E. *Editiones.*

1. Editio princeps in collectione historiarum islandicarum ab Episcopo Skalholtense *Theodoro Thorlacio e*) *Skalholti* 1688 4to edita, exstat sub

e) De vita ejus vid. *F. Joh. H. E. J. T.* III. p. 664-81, ubi etiam habetur catalogus librorum, qvos in officina skalholtensi imprimi curavit.

titulo: *Schedæ Ara Prestz Fróda vm Island. Prentader i Skalholte aff Hendrick Kruse Anno* 1688.

VIII. folia continet præter indicem et catalogum Episcoporum Islandiæ.

Editio seqvitur apographum minus correctum J. Erlandini, de qvo jam supra. De meritis Editoris testantur præfatio et Epilogus indici subjunctus. In præfatione ait hunc libellum jam tum rarum evasisse, antiqvissimumqve, se judice, Islandiæ scriptum historicum (Sögu þátt) censendum esse, qvod etiam ad mutationem lingvæ a tempore *Arii* cognoscendam facere posset. Archaismos in orthographia Nostri obvios commemorat, additqve, se ad eosdem exprimendos novos typos fundi curasse in eorum commodum qvi palæographiæ islandicæ haud prorsus ignari, membranis versandis operam dare vellent. Codicem membranaceum, cujus apographum fecit Erlandinus, autographum fuisse Nostri a *pluribus credi*, dicit, pro indubio vero non asserit.

Ex allatis patet, Thorlacium Editorem haud omnino spernendum fuisse, et officiis sibi incumbentibus, studio se non minus qvam feliciter, si tempus respicias, satisfecisse. De vitiis in hac editione occurrentibus, qvæ maxima ex par-

te oscitantiæ exscriptoris deberi videntur, jam supra dictum est.

2. Editionem omnibus numeris absolutam, nunqvam proh dolor! publici juris factam, moliebatur litteraturæ Islandiæ stator et Coryphæus *Arnas Magnæus*, cui insudaverat spatio annorum 1680-90. Omnia huc pertinentia servat Bibliotheca Universitatis Hafniensis. Exstat textus Schedarum summa diligentia juxta apographum Erlandini optimum exaratus, et qvantum fieri poterat, ab omnibus nævis purgatus, cum versione latina, et notarum historicarum chronologicarum et philologicarum apparatu, qvalem a *Magnæo* exspectares, cujusqve specimen, controversas qvasdam in rerum norvegicarum chronologia qvæstiones tractans, *Additamenta ad Encomiasten J Loptidæ p.* 54-71 sistunt. Multa insuper collegit ad dissertationem de vita et scriptis Nostri, cujus tamen nihil reliqvit elaboratum *f*).

3) *Aræ multiscii Scedæ de Islandia accedit dissertatio de Aræ multiscii vita et scriptis Oxoniæ e Theatro Seldeniano* 1716 8vo. Hicce titu-

f) M. adhuc A. 1728 de hac editione cogitasse, arguit *Ep. J. Gammii* in *Schedis Bussæi* p. 80.

lus a bibliopola recentiore additus, verum impressionis annum non præfert, liber enim circa A. 1697 sine dubio impressus est. De causis raritatis hujus Editionis ejusque fatis, qvicunqve plura cognoscere velit, adeat *Luxdorphiana per Nyrupium* p. 333-45. Qvæ adjicienda habeo, hæc sunt: Editor *Chr. Wormius*, postea Episcopus Siælandiæ, vir profundæ et multifariæ doctrinæ, antiqvitatibus patriæ juvenis operam navasse videtur, saltem de hisce studiis, eidem cum *Hickesio* commercium epistolicum intercessit (*Thes. Ant. Sept.* T. III. p. 67); forte vero res adversæ qvæ eum ad Britanniam linqvendam compulerant, etiam ab hoc studio abstraxerunt. In schedula qvædam antographa *Magnæi* scriptum inveni, eum 1693 *Wormio* exemplar suum Schedarum manuscriptum cum versione latina commodasse g), simulque editionem Oxoniensem vitiosam, et justa autographum suum haud satis accurate expressam esse pronuntiat. Videmus hinc, *Wormium*, jam biennio ante peregrinatio-

g) Luçubrationum suarum usum amicis doctis promto animo concessisse videtur *Magnæus*. Etiam *O. Sperlingius* in T. I. *Commentariorum suorum* (Mss. in Bibl. regia) A. 1690 elaborato, *commentarios A. Magn. in Schedas* allegat.

nem suam de hac editione cogitasse; qvod confirmant epistolæ qvædam inter *F. Rostgaardium* apud exteros agentem et *Magnæum* scriptæ (*Webers Saml. til den danske Historie* 1. H. S. 113-28); qvarum in aliqva (Oxoniæ 8 Maji 1694), Rostgaardius loqvitur de editione Schedarum cum versione a qvodam ejus amico hafniensi, qvem *Wormium* fuisse omnia arguunt, elaborata, qvam hic Oxoniæ absqve editoris nomine imprimi optavit; qva occasione etiam verba facit de lucubrationibus in Schedas, sibi a *Magnæo* ante peregrinationem suam monstratis. Videtur igitur *Magnæi* laboribus multum debuisse *Wormius* (*Drejeri Notit. libr. Msstorum Hist. Cimbr.* pag. 131) etsi affinis ejus Luxdorphius l. c. contrarium totis viribus probare studet. Cuivis omnino, annotationes *Wormii* attente consideranti facile succurrit, loca ea permulta, qvæ ex scriptis islandicis ineditis citantur, ab Islando ei necessario suppeditata esse. Editio complectitur textum cum versione, ad verbum facta, et interpretatione sive paraphrasi, p. 1-88. Præter ed. Skalh. ipsi, ut jam dictum est, ad manus erat apographum *Magnæanum*, qvo tamen qvin recte uteretur, impedivisse eum videtur necessariæ in his peritiæ defectus, cujus jam antea sub No. C.

exempla adtuli. Sic v. c. Cap. V. pro mendoso *Ed. Skalholtensis veit vagi* habet rectius *vett vangi* et Cap. VII. lacunam in *Ed. Skalh.* post *beriast* exstantem fere ut *Magnæus* supplevit, et Cap. X. p. 79 pro mendoso *halffertogr* habet *halfsextoger* qvod tamen prave vertit per XXXIX et dimidium, insuperqve in adnotationibus lectionem seqvitur mendosam. Textui additæ sunt annotationes qvædam inprimis philologicæ haud spernendæ, qvibus varia vocabula islandica ex lingva A. Saxonica et Moeso-Gothica illustrare studet. Pag. 89 - 152 seqvitur: "In Aræ multiscii Schedas de Islandia commentarius", septem modo capita complexus, ceteroqvin scientiam antiqvitatum borealium sat insignem prodens, cujus exempli instar esto excursus p. 91 - 94 de nominibus proprijs veterum, et p. 107 - 21. prolixa discussio controversiæ inter *T. Bartholinum* et *Reenhielmium* circa Haraldum Blaatand et monumentum Jellingense, cui inserta est historia Styrbiörnonis Herois Svecici bellum gerentis cum Erico Sveciæ rege *h*). Inter paginam 153 - 168 in omnibus, qvæ vidi, exemplaribus lacuna est.

h) Juxta *Suhmium Hist. Dan. T.* III. p. 171 hæc historiola desumta est ex historia Olavi Tryggvini.

Paginas 169-192 occupat de Aræ multiscii vita et scriptis dissertatio. Index deest.

4. "*Arii Thorgílsis Filii, cognomento Frode* "*i. e. multiscii vel polyhistoris in Islandia qvon*-"*dam presbyteri, primi in Septentrione historici,* "*Schedæ, sev libellus de Islandia, Islendingabók* "*dictus; e veteri Islandica, vel, si mavis, Da*-"*nica antiqva, Septentrionalibus olim communi* "*lingva, in latinam versus ac præter necessarios* "*indices, qvorum unus est lexici instar, brevibus* "*notis et chronologia, præmissa qvoqve Autoris* "*vita illustratus ab Andrea Bussaeo Havn.* 1733 "*4to*" *pag.* 118. *praeter Indicem et Glossarium i*).

Bussaeus (Consul Helsingoranus ob. 1735) editionem dedicavit legato regis Galliæ in Aula Danica *Comiti de Plelo* Historiæ et antiqvitatum Septentrionis studiosissimo, cujus litteræ ad Bussæum hanc imprimis materiam spectantes insertæ sunt *Dänische Bibliothek 2ten Band* pag. 434-45. Dedicationem excipit *Praefatio ad lectorem* in qva labores editoris exponuntur eamqve seqvitur Vita Arii succinctius descripta. Textus ipse in capita distinctus Editionem Skalh. seqvitur, nec ab or-

i) Exemplaria qvædam in titulo præferunt Ann. Impress. 1744, ceteroqvin omnino inmutata. vid. *Minerva* 1789. *Julius*. p. 65.

orthographia *Arii* decedit, nisi qvod abbreviationes in eadem occurrentes hic plena scriptura exhibeantur, locaqve qvædam vitiosa ex apographo qvodam (p. 40.) emendantur (cf. p. 70.). Præter versionem et annos appositos, additæ sunt textui annotationes historicæ, in qvibus pag. 10 & 34. *manuscripta islandica*, p. 22 & 30 auctoritas *Joh. Olavii* (*Grunnavicensis*) allegatur. Dormitasse videtur *Bussaeus* p. 32, ubi Diplomati Ludovici Pii spurio fidem tribuit, et inprimis p. 71, ubi Magnum Olai filium cognomine Bonum et Magnum Nudipedem confundit; tales vero nævos, librorum defectum, de qvo p. 47. conqveritur, respicientes, facile condonamus. Pag. 79-118 habetur *Jon. Gammii Schediasma de ratione anni Solaris*, ad illustrandum Schedarum caput IV, Lexicon vocum antiqvarum addidit Editor, ut instar supplementi esset Lexicorum Magni Olavii et Gudmundi Andreæ. Nec prætereundum est B. editione *C. Wormii* tam in versione qvam in annotationibus & Lexico usum fuisse, nulla tamen ejus facta mentione. (*Dreyeri Notitia libror. Msstorum Hist. Cimbr.* p. 131. cfr. *Luxdorphiana per Nyerup* p. 343.)

Sectio Qvarta.

Loca Veterum, qvibus Noster allegatur.

Scriptorum veterum permulti ad auctoritatem Nostri provocant, sed plerumqve more solito: "*ita narravit*, *ex relatione ejus*" (*sva sagdi hann*, *at Sögu hans*), unde non liqvet utrum de scriptis sermo sit, an modo de traditione qvadam orali (*J. Erici de Peregrin.* p. 88) *k*). Æqve arduum est evincere, opusne ejus deperditum an Schedæ intelligantur, etsi pronus sim ad statuendum, prius, qvippe prolixius, ut plurimum indigetari.

k) Vox *Saga* triplici gaudet significatione. Est mimirum a) relatio oralis, vid. *Schedas* c. x. p. 60. de Marco Skeggii f. & pluribi. Vocatur etiam *sögn*, *frasaga*, *frasögn*. b) historia vel fabula literis consignata. Videantur Inscriptiones *Eyrbyggia Saga*, *Kristni Saga*, *Sturlunga Saga*, *Huldar Saga*, & innumeræ fere aliæ. c) factum literis mandatum; vid. citatum ex *hist. Sturlungorum* in *Annott. ad hist. Gunnl.* p. 6. Cæterum de hac voce consulantur *Verelius in Gautreks S.* p. 3. *Glossarium Joh. ab Ihre* T. II. p. 488. & *Rühs* (*Unterhaltungen für Freunde altd. u. altn. Gesch. u. Litter.* p. 71. 72.).

En vero scripta, in qvibus Nostrum cev auctorem laudari ego qvidem reperi.

1. *Heimskringla.*

Tom. 1. *Saga af Olafi Tryggvasyni* Cap. XIII. p. 201 - 2 (de cæde Haraldi Graafeldi) "Sva segir "*Ari prestr inn Fródi*, at Hácon Jarl væri XIII "vetor Jarl yfir fodorleifd sinni i þrandheimi ádr "Haraldr Gráfelldr fell, enn VI. vetor ena sidor-"sto, er Haraldr Gráfeldr lifdi, segir *Ari* at "Gunnhildar synir oc Hacon bordoz, oc stucko "ymsir or lande", ɔ: Memorat *Arius*, fuisse avito "Jarli munere et dignitate per XIII. hiemes func-"tum in Thrandheimia Haconum, anteqvam bello "occumberet Haraldus Graafeldus; per VI autem "hiemes ultimas vitæ Haraldi Graafeldi, testatur "*Arius* mutuis præliis conflixisse Gunnhildæ filios "atqve Haconum, terrisqve cedere fuisse coactam "partium jam hanc jam illam". Eadem habuit *Olafs Saga Tryggvasonar* in *Bibliotheca Reseniana* olim asservata (*A. Magn. Comm.*); *Ed.* vero *Skalholt.* P. 1. c. LIX. p. 56. pro XV. hiemibus habet XII. et pro XIII. a cæde Sigurdi elapsis habet XIV.

Tom. II. Saga af Olafi hinum helga Cap. CLXXXIX. p. 313 Locus jam supra Sect. IIdæ

insertus. Eadem habuit *Olafs S. Helga* in *Bibl. Resen.* (*A. Magn. l. c.*); exstant qvoqve in *Chronico rythmico S. Olai, ed. Hadorphii* p. 53. Cap. CCLX. 394 p. "Olafr Konungr enn Helgi var þá half-"fertogr at alldri er hann fell, at sögo *Ara prests* "*ens Fróda*". ɔ: "R. Olafus S. natus erat annos "XXXV, qvo tempore cecidit, teste *Ario*." Eadem habuit *Olafs S. H.* in *Bibl. Resen.*

II. *Saga Olafs Tryggvasonar. Skalh.* 1689. 4to *l*).

Alterum hujus chronici auctorem *Gunnlaugum Monachum* plurima ex scriptis Nostri hausisse, docet P. II. cap. CVI. p. 321. "segist bródir "Gunnlaugur þat eina skrifat hafa, sem hann "hefur af sannordum mönnum heyrt, oc einkan-"legast hafa samanlesit þat er hann hefur fundit "i bókum *Ara Prests hins Fróda*". ɔ: Traditur "fratrem Gunnlaugum ea modo, qvæ ab homini-"bus veracibus comperta habuit litteris mandasse, "imprimis vero scriptis *Arii* usum fuisse". Nomi-

l) Scripta Monachorum *Gunnlaugi* & *Oddi* de *historia Olai Tryggvini* haud extant nisi a recentioribus interpolata & adaucta. *F. Johann. H. E. Isl.* T. I. p. 80. 212. 591. *H. Einari Sciagr. Hist. liter. Isl.* pag. 126.

natim citatur P. I. c. XXXIII. p. 31. (de cæde Sigurdi Comitis Hladensis). "þetta var II vetrom "epter andlát Hákonar Adalsteinsfoſtra, at sögu "*Ara Prestz hins Fróda þorgilssonar*". ɔ: Hoc "evenit II. biemibus post mortem Hakoni Adal-"steini alumni, referente *Ario*" —— Eadem extabant in *Olafs S. Tryggv.* in *Bibl. Resen.* (qvæ *um vettrin* habuit ubi impressa *II. vetrom*). et in *Olafs S. Helga. Snorrius* (T. I. p. 173.) idem tradit nec annum addens nec Nostrum citans; P. I. c. LIX. p. 56. (de cæde Haraldi Graafeld) "þa varo frá falli Hakonar Adalsteins fostra XII. "vetur at sögu *Ara Prests þorgilssonar hins Fro-"da*". ɔ: tunc a morte Hakoni Adalsteini alumni "effluxerant XII. hiemes referente *Ario*." Cap. CLV. p. 185 (de prælio Jomsburgensi et cæde Buonis Crassi) "þetta er *sögn* Hallbearnar Hala, oc "Steingrims þorarinssunar, oc *frasögn Ara "Prestz Fróda þorgilss.*" ɔ: Hæc retulerunt Hall-"biörnur Hale prior, Steingrimus Thorarini f. "et Arius sacerdos." Notabilis est hæc inter *Sögn* et *Frásögn* distinctio, qvorum prius hic relationem ex ore cujusdam superstitis immediate haustam, posteriusqve traditionem per plures intermedios a qvodam jam dudum mortuo descenden-

tem significare videtur *m*). *Snorrius* hocce factum fuse tradit absqve Nostri allegatione, unde manifestum fit, veteres pro arbitrio fontes suos citasse vel reticuisse.

III. *Olaf Tryggvasons Saga af Oddr Munk ed. Reenhielm. Upsal.* 1691. 4.

Cap. XXII. p. 97 "þat finst i Frasaugu *Ara* "*hins Fróda*; oc eru þeir fleiri er þat sanna, at "Olafr Tryggvason hafi tva vetur haft oc tuttugu "þá er hann kom i land" ɔ: "In relationibus *Arii* "reperitur, qvod et plures alii affirmant, Olafum "Tryggvasonium XXII annos natum fuisse, cum "rediret". Eod. Cap. p. 98. 99. "Enn þesser menn "samþyckia þetta at Olafr Tryggvason hafi verit "XXXII. vetra, þa hann kom i land, med þessum "hætti, Sæmundr hinn fródi oc *Ari hinn fródi*; "er hvers tveggia saugn er trulig, at Hakon hafi "styrt riki þriátygi oc þriá vetur, sidan er fell "Haraldur Grafeldur" ɔ: "Hi autem viri in eo "consentiunt, Olavum Tryggvinum XXXII. an-"norum fuisse, cum in Norvegiam rediret; hoc "modo, Sæmundus et *Ari* sapiens, qvorum utri-"usqve relatio fide digna, referunt Haqvinum

m) In Præf. *Heimskr.* p. 2. 3. *Sögn* sumitur pro relatione scripta.

"regnum tenuisse XXXIII annos, postqvam neci "datus Haraldus Grafeld".

IV. *Olafs Saga hins Helga. Mss. in Codice Flateyensi n)*.

"Sva s. *Ari prestr hinn fróde* at bygd sú lá "i Hysing er fylgt hafdi ymizt til Noregs edr til "Gautlandz". ɔ: "Tradit *Arius* territorium in Hy-"sing situm fuisse Norvegiæ et Gothlandiæ vicis-"sim subjectum". Ceteri vero hujus historiæ codices, ut et *Snorrius* (Tom. II. p. 143) qvendam *Thorsteinem Fróda* citant; qvam lectionem *A. Magnæus* rectiorem pronunciat.

V. *Islands Landnámabók s. liber Originum Islandiæ. Hafn.* 1774. 4.

Chronicon hocce operi Nostri deperdito pro parte superstructum esse (P. V. c. XV. p. 378) jam supra *(Sect. II.)* vidimus. Attamen semel modo nominatim ibi laudatur: (P. II. cap. XIV. p. 103) "sva segir *Ari þorgilssun* at þat sumar "foro tuttigi oc fimm Skip til Grænlands af Bor-

n) *Styrmerum multiscium* († 1245) hujus historiæ auctorem fuisse, colligitur ex Additt. ej. hist. in Cod. Flat. Col. 750 sq. *H. Einari Sciagraphia hist. liter. island.* p. 126.

"garfirdi oc Breidafirdi &c." ɔ: *Arius* auctor est "eadem æstate XXV naves de Borgarfiordo et "Breidafiordo navigasse". cfr. *Sched.* c. VI.

VI. *Kristni Saga s. Historia Christianismi in Islandiam introducti.* *Hafn.* 1773. 8.

Auctorem (*Haukum Erlandinum* † 1334.) Nostri scriniis non pauca nec vulgaria debuisse, vel ex ipsis *Schedis* constat. (vid. *Præf. Johann. Finnæi*). Cap. XII. p. 104. (de Sigvaldo qvodam, qvi carmine lacessitus auctorem Stefnerem Thorgilsi f. occidi fecit) "Sva hefr sagt *Ari hinn Gamli*" ɔ: "Ita Arius Grandævus retulit". Eod. Cap. p. 108. "*Ari hinn Fródi* stód yfir grefte hans (Is-"leifs) tolf vetra gamall, er flest hefr sagt frá "þessum tidindum, er her eru ritud" ɔ: "*Arius* "duodecennis exseqviis ejus (Isleifi) interfuit; Ex "hujus traditione plurima eorum, qvæ hic scri-"buntur, desumta sunt". Opponitur hic *at segia* et *at rita*, etsi persvasum habeo, primo non indigetari relationem ex ore, sed ex scriptis Nostri haustam, cum de hac re multa habeat in *Sched.* c. VII. et IX. et plura certe in opere ejus deperdito.

VII. *Páls Biscups Saga* (unacum *Hungurvaka ed. Hafn.* 1778. o).

Cap. XVIII. p. 238 - 40. "*Ari prestr hinn* "*Frodi* er mörg dæmi spaklig hefr samantöld, se-,'gir hve miöc vort land drupnadi eptir fráfall "Gitzurar Biscups" ɔ: "Refert *Arius*, qvi multa "rerum documenta collegit, qvam moestum no-"stra insula demiserit vultum, Gissure Episco-"po abeunte". cfr. *Sched. Cap.* X.

VIII. *Jons Saga Hola-Biscups s. Jons S. hins Helga. Mss.* p).

Cap. VI. "Gizur Biscup hefor verit mestr "haufþingi oc algofgaztr maþr a aullu Islandi, at "þvi er sagdi *Ari prestr þorgilsson* at alþydu vir-"þing hafi áfallit" ɔ: Gissurus Episcopus fuit om-"nium præstantissimus et celeberrimus in Islan-"dia, prouti retulit *Arius*, universi populi sen-

o) In præfatione Sevirorum A. Magnæanorum adscribitur *Magno Gissuris* f. Ep. Scalholtensi († 1236.)

p) Vitam *S. Jonæ Ögmundini* primi Ep. Holensis († 1121) latine scripsit *Gunnlaugus* Monachus, cujus versio islandica, hic citata, scripta est antequam templum Holanum corrueret (A. 1595) *F. Johann. H. E. J.* T. IV. p. 137.

"tentiam fuisse". C. Wormius (ed. *Sched.* pag. 189) credit, locum Schedarum Cap. X. hic indigetari.

V. *Laxdæla Saga* ɔ: *Historia Laxdalensium.* *Mss.* *q*).

"Sva segir *Ari þorgilsson enn froþi*, um lif-"lát þorsteins (Rauda Olafssonar Hvita oc Unnar "Diupaudgu Ketilsdottur Flatnefs) at hann felli "a Katanesi", ɔ: "Refert *Arius* Thorsteinem (Ru-"fum filium Olafi Albi et Unnæ prædivitis filiæ "Ketilli simi) cecidisse in Kataneso". Hunc Thorsteinem commemorat Noster app. ad Sched. pag. 74. "Sidan andaþiz Snorri (godi) hafdi þá VII. "vetr ens siönda tigar, þat var einum vetri eptir "fall Olafs Konungs ens helga. Sva sagdi *Ari* "*prestur enn froþi*". ɔ: Dein obiit Snorrius (Pon-"tifex) annos LXVII. natus, anno proximo post "mortem R. Olavi S. Sic retulit *Arius*".

q) Tractat historiam vallis Laxaaensis, præfecturæ Dalensis in Qvadr. Occident. Sub finem XIIdi aut initium XIIItii sec. conscripta, inter historias islandicas melioris notæ numerari debet, licet nævis qvibusdam chronologicis, in parte præsertim posteriori, laborat. cf. *Gunnlaugs S.* p. 68-69. *F. Johann. H. E. Isl.* T. IV. Præf.

X. *Eyrbyggia Saga s. Eyranorum historia. Hafn.* 1787. 4.

Ejus argumentum principale, juxta *Johannæum* (*H. E. I.* T. IV. Præf.) a Nostro forte primo in literas relatum est. Cap. VII. p. 16. "þo-"rolfr Mostraskegg qvongadist i elli sinni oc feck "þeirrar Konu er Unnr het, segia sumir at hun "veri dottir þorsteins Rauds, enn *Ari þorgilsson* "hinn frodi telr hana med eingu móte med hans "börnum". ɔ: Thorolfus Mostraskegg jam senex, "matrimonio sibi junxit Unnam, qvam qvidam "filiam Thorsteinis Rufi fuisse perhibent, *Arius* "autem ejus eam liberis neqvaqvam annumerat". Auctor hujus historiæ Chronicon Nostri deperditum innuisse videtur.

XI. *Nidls Saga. Hafn.* 1772. 4. *r*)

Cap. CXV. p. 173 "þorgrimr het fadir Snor-"ra oc var son þorsteins þorskabitz þorolfssonar "Mostraskeggs Ornolfssonar Fiskreka, enn *Ari* "*Frodi* segir hann vera sun þorgils Reyþarsidu".

r) Sec. XIV. forsan concinnata. *F. Johannæi Tr. de Noctis præ die prærogativa.* p. 187. Extat ejusdem versio latina perelegans, cum lectionis varietate, Indice &c. opera *J. Jonæi*, impressa qvidam sed nondum, proh dolor! publici juris facta.

ɔ: "Pater ejus nominabatur Thorgrimus filius "Thorsteinis asellorum captatoris, filii Thorolfi "Mostraskeggi, filii Ornulfi piscium actoris, Arius "vero Thorolfum facit filium Thorgilsi Reydar-"sidæ".

XII. In Farragine qvadam membranacea Bibliothecæ Regiæ *s*) extant inter alia *nomina sacerdotum qvorundam nobilium Islandiæ*, qvæ inscribuntur "þessi ero nöfn nacvara presta cynbórinna islenscra". Finis vero hæc est: "Presta "nöfn þessi voro ritod þa er þeir lifþu allir a dö-"gum þeirra ketils ok Magnus byscopa Islendinga "oc Vilmundar Abóta at þingeyrum M. C. XLIII. "vetrum eptir burd Cristz at alþyþu tali. En "Ketill Hola byscop andaþiz II. vetrum siþar i "scala hollti Fostodag i Solarsetri. þa er var octabas "Apostolorum Petri oc Pauli. Sva sagþi Magnus "byscop *Ara Froþa* er sialfr var viþ andlát hans". "ɔ: Hæc sacerdotum nomina exarata sunt, cum

s) Est Codex ille computisticus (*Erichsens Udsigt* p. 45) de qvo supra pag. 32. not. dd) verba feci. Manu illa sat nitida & antiqva, qva dicta nomina exarata sunt, nil aliud in hoc Codice, scriptum occurrit; hanc vero, ut cum *Erici* l. c. ad A. 1140 referam, vix adduci possum, postqvam eandem cum Documento Reikholtensi circa A. 1224 exarato, contuli.

"singuli illorum adhuc viverent diebus Ketilli "et Magni Episcoporum Islandiæ, et Vilmundi Ab- "batis Thingeyrensis A. a n. Chr. secundum com- "putum vulgarem 1143. Ketillus autem Holensis "Ep. II. abinde annis mortuus est Skalholtæ die "veneris circa occasum solis, in octava App. P. "et P. (6 Julii); ita *Ario* retulit Magnus Ep. qvi "Ketillo morienti ipse adstiterat". Magnus Episc. de qvo hic sermo est, qvartus fuit Episc. Scalholtensis † 1148. De obitu Ketilli Ep. cui adfuit Magnus. *vid. Hungrv.* Cap. XIV. p. 98.

Plura hujusmodi non offendi etsi vero simillimum sit, permultos veterum scriptis Nostri absqve honorifica auctoris mentione usos fuisse. Sic forsan *Saxonem Grammaticum*, et imprimis *Theodoricum Monachum t*) "Thylensium s. Islan- "dorum veterum in conscribendis historiis indu- "striam impense laudando, Nostrum, ut vetustis- "simum et primum in reliqvis numerasse et intel- "lexisse" cum *Bussæo* (*Vita Arii*) haud temere concludes. Sed de occultis non integrum est judicare.

t) In schedula msta conjicit *A. Magnæus*, Theodoricum M. opus Arii deperditum revera ad manum habuisse, idqve secutum a Pulchricomo incipere & in Sigurdo Hierosolymipeta finem facere.

Sectio Qvinta.

De scripturæ genere, qvo in libris suis consignandis usus est Arius.

Etsi Runarum usus ad libros scribendos, si vel unqvam talis exstitit, tempore, qvo Noster scripsit, in Islandia jam exoleverat, et recentiore scripturæ genere opera Arii fuisse exarata me illico probaturum confido, certo tamen constat, literaturam runicam reformationem qvandam ei acceptam tulisse. Hac de re enim locum notatu dignissimum nobis exhibet *Skalda u*) adhuc inedita, qvem integrum hic afferre necesse habeo; "Skal ydr syna hinn fyrsta letrshátt, sva ritinn "eptir sextan stafa stafrofi ì danskri tungu, eptir "þvi sem *þoroddr Runameistari v*) oc *Ari prestr*

u) Scalda dicitur ultima pars Eddæ recentioris in Codice Wormiano (inter Magnæana No. 242 Fol.) qvæ primum literas, syllabas ex iis formatas cum earum mensura accentu et spiritu, & dein figuras rhetoricas et poeticas tractat. Eruditionem pro eo tempore sat spectabilem licet indigestam prodit; citantur nempe *Aristoteles*, *Donatus*, *Priscianus*, *Ovidius*, *Catonis disticha*, et plurima Veterum Poetarum a *Bragio* inde ad Sec. XIVti initium fragmenta.

v) Huic *Thoroddo* cognomen *Runameistari* ob suam in scientia runica peritiam, tributum esse videtur, qve-

"*hinn frode* hafa *sett* i móti latinu manna staf-
"rofi er meistari *Priscanus x*) hefr sett" ɔ: osten-
"dam vobis primas litterarum formas, exaratas ad
"similitudinem alphabeti lingvæ danicæ e sede-
"cim conflati: prout Thoroddus Runarum magi-
"ster et Arius sacerdos multiscius vice alphabeti

madmodum sacerdos qvidam *Gunnarus Biarnii f. Runagunnar* audit († 1193. *Ann. Reg. in S. R. D.* III. p. 70.) De eo nil certi nobis constat. *N. R. Brocmann* probare conatur, eum qvendam *Thordum* (*þorþr, þorþr, þor Runsi*) fuisse, qvi saxis qvibusdam svecicis Runas insculpsisse deprehenditur, et cum *Ubbium Baliumqve* celeberrimos in Svecia Runographos, qvorum tamen nulla ante Sec. XIIdi initium vestigia exstant, in hac arte discipulos habuisse credatur, *Ario* coævus vel saltem ætate suppar censendus sit; qvam sententiam ex mente ejusdam Brocmanni corroborant mutationes qvædam in scriptura runica, linearum scilicet transversarum abbreviatio, et qvarumdam Runarum punctatio in saxis Ubbio-Balianis freqventer occurrentes, qvas *Thoroddo* et *Ario* adscribit. Ceteroqvin labores hosce Thoroddo-Arianos Schedis ætate inferiores esse ex silentio harum concludit O. Sperlingius (Comment. Mss.)

x) *Priscianus* Cæsareensis Grammaticus et rhetor Sec. VIti, scripsit inter alia de VIII partibus orationis libros XVI, et de constructione earumdem II. Extant tam in editionibus operum ejus, qvam in *El.* Putshii *Grammaticis veteribus.* Hanov. 1605. 4to.

"latinorum a magistro *Prisciano* ordinati easdem "disposuit". Alphabeto hic commemorato, qvod infra norvegicum (norræna stafrof) dicitur lectorisqve subjicitur oculis, runicum innuitur, XVI. literis constans, qvod etiam primum vocatur i. e. antiqvius, ut a recentiore (anglo-saxonico) alphabeto, distingvatur, cujus postea fit mentio. Qvid vero circa alphabetum runicum revera effecerint hi duumviri, expeditu difficilius est. Recentiorum plurimi, qvæ Skalda in seqventibus habet, non respicientes, hunc locum læve interpretati sunt, *Ariumqve* et *Thoroddum* librum de literatura Runica composuisse statuerunt, auctoritate *Arngrimi Jonæ*, ut videtur, decepti. Ita enim *Resenius* (*Edda add. ad præf.* fol. m. 2). "Hic *Areta* scripsit librum de literatura runica idiomate islandico, qvi tamen jam intercidit, ut scribit *Arngr. Jonas* in margine Annalium islandicorum, ex boreali Islandia transmissorum" Etiam *A. Magnæus* (*Comment. in Sched.*) hanc sententiam fovit: "Runas etiam antiqvas illas Septentrionis literas, scripto explicuit". Et *Joh. Olavius Grunnav.* (*opere eddico Mss.*) putat eum commentarium scripsisse de literis, qvatenus illæ ab exteris acceptæ, idiomati islandico recte es-

sent accommodandæ *y*). *C. Wormius* (p. 192) tamen et *Bussæus* aliqvid de vero hujus loci sensu subodorasse videntur, et *N. R. Brokmann* (*diss. de Runar. antiqvitate ad hist. Ingv. Multiv.* p. 277-80) ad veritatem, me judice, proxime accedit, statuens eosdem Runas novo ordine *disposuisse* earumve potestatem accuratius explicasse, imo earum forte numerum punctatione qvarundam auxisse. Confirmant hunc sensum seqventia, qvæ Skalda, tractato recentiori scripturæ genere de runis subjungit; ubi primum de vocalibus (Hliöd-stöfum) earumqve in alphabeto norvegico (norrænu stafrofi) ordine (ur, os, is, ar, yr) loqvitur et qvidem eodem vocabulo *at setia* pro disponere utitur: "Ur er af þvi fyrst *sett* at þat hliodar i vörrum" ɔ: ur ea de causa prima ponitur, qvod illa in labris sonet". Et paucis interjectis addit: "La-"tinumenn skipudu stöfunum gagnstadliga þes-"sum, sem hér er greint, *settu* þeir *a* fyrst" ɔ: "Latini (ɔ: *Priscianus*?) ordine huic, de qvo dixi, "contrario, suas disposuere litteras, ut mox dice-"tur, primo posuerunt *a*". Ordine dein vocalium

y) "Græca & latina callens, grammaticæ linqvæ patriæ adornandæ operam impendisse videtur". *Murray Animadv. in litt. runicam in Comm. Götting.* Vol. II. p. 57.

apud Latinos exposito, addit: "Hafa af þvi hvarertveggiu Meistarar vel oc natturlega skipat stöfunum i sinu máli". ɔ: hinc igitur uterqve hic magister (*Priscianus*, *Thoroddus*, *Arius ?*) bene et naturaliter litteras in lingva sua disposuerunt". Qvibus omnibus manifestum fit, labores Nostrorum runicos in nova harum dispositione imprimis versatos fuisse; et qvid obstat, qvo minus ordinem Runarum, qvem nobis monstrant aureorum numerorum et literarum dominicalium progressus (de qvo consulatur *O. Wormii litteratura runica Ed.* 2da. Cap. XIV.) ipsis adscribamus. Cætera, qvæ ex Skalda de Runis earumqve potestate et usu, qvi præsertim ad inscriptiones condendas, usqve ad Sec. XV. durasse videtur erui non sine fructu possunt, alii loco reservabo.

Religione vero Christiana in Islandiam inducta, novum scripturæ genus per ejus prædicatores, maxima ex parte Anglos et Hibernos, illatum fuit, latinæ scilicet litteræ, more anglosaxonico ductæ (*Clausens descr. Norv.* p. 166) "*omnia* "enim, et in his ipsi literarum in membranis "ductus haud obscure monstrant, Norvegos et "Islandos primum literarum usum ex Britannia "accepisse, cum earum haud paucæ anglosaxoni-

"cas aperte referant". (*O. Wormii Epp.* p. 802. "822. cfr. *Widalini diss. de ling. Dan. ad. Gunnl. S. p.* 274. *N. Kederi nummi aliqvot diversi ex argento præstantissimi. Lips.* 1706. p. 46). Hisce literis latinis a monachis corruptis, qvas A-Saxonicas recte diceres, scripta sua Noster exaravit. Probat id Skalda, qvæ postqvam statim in limine observavit, qvamlibet gentem lingvam suam propriis literis exarare, et qvoties illæ non sufficiant, vel novis opus sit, varias substituere, rejectis reliqvis, qvæ eorumdem lingvæ recte applicari neqveunt, seqventia insignis hic momenti addit: "Nu eptir þeirra dæmum, allz ver erum "einnar tungu *z*) þo at giörz hafi miök önnrtveg-"gia eda nakkvad bádar, til þess at hægra verdi "at rita ok lesa *æ*) sem nu tidiz ok á þessu landi,

z) De lingvæ Anglicæ communi cum septentrionali origine vid. *Vidalini Tract. de lingvá danica ad Gunnl. S.* p. 240. seqv.

æ) Cum hoc loco conferantur, qvæ subjicit *Scalda*: "I flestum löndum setia menn a bækur annattveg-"gia þann frodleik er þar innanlanz hefr giörz, "edr þann annan er minnisamligastr þikkir, þo "at annarstadar hafi heldr giörz, eda lög sin setia "menn a bækr hver þiod a sina tungu". ɔ: "Pluri-"mas apud gentes in libros referuntur res scitu dig-"næ in eadem terra gestæ, ceterave imprimis

"bædi lög ok ættvisi eda þydingar helgar, eda "sva þau hin spaklegu frædi er *Ari þorgils-*

"memorabilia, qvæ alibi locorum acciderint, "etiamqve leges qvælibet gens suo idiomate litte-"ris mandat". (Paulo infra) "Nu um þann mann, "er rita vill, eda nema at varu máli ritit, annat-"tveggia helgar þydingar, eda lög, edr ættvisi, "eda sva hveregi, er madr vill skynsamlega nyt-"semi a bok nema, edr kenna - - - - hafi stafrof "þetta". ɔ: "Si qvis ergo literas lingvæ nostræ aut recte exarare aut exaratas intelligere vult, qvæ, num contineant commentaria sacra, an leges vel genealogias perinde est, vel qvicqvid aliud utile et doctum, qvod aliqvis ex libris haurire, vel haustum aliis tradere cupiverit - - - - alphabeto hoc utatur". cfr. etiam qvæ habet *Hungrvaka* C. 1. p. 4. "þat er a norrænu er ritat, lög, edr "sögur, edr mannfrædi". ɔ: "Lingvæ norvegicæ monumenta, leges, historiæ aut libri in honestioribus disciplinis versantes". Ex allatis elici possunt, præcipua scientiarum genera, qvæ tunc temporis literis mandabant Islandi. Erant autem: a) *leges* (lög); jure tamen dubitatur an antiqvissimæ (Ulfliotinæ) literis unqvam mandatæ fuerint. b) *Genealogiæ* (ættvisi); qvas inter antiqvissima litteraturæ scandicæ monumenta referre non dubito, qvarumqve infinita fere copia Islandia tam vetustior qvam recentior gloriatur; testem adhibeo unicum *Landnamabok*. c) *Scripta sacra* (helgar þydingar); per þydingar indigetantur forte vitæ sanctorum, libri ascetici, breviaria, ceteraqve Pontificiorum commenta vel etiam ex mente J. Olavii Grunn. (op. eddico Mss.) allegoriæ, qvibus monachi, eo tem-

"*son ö*) hefr á bækur sett af skynsamlegu viti, þa "hefr ek ok ritad oss Islendingum stafrof, bædi "latinu stöfum öllum þeim, er mer þotti gegna "til vors máls vel, sva at rettrædir mætti verda, "ok þeim ödrum er mer þotti i þurfa at vera enn "or voru teknir þeir er eigi gegna atqvædum vor- "rar tungu". ɔ: "Jam vero, siqvidem nos eorum- "dem (Anglorum) exempla seqvi oportet, utpote "qvi ejusdem lingvæ sumus consortes, non ob- "stante, qvod alterutra vel utraqve majorem in "modum a prima cognatione deflexerit, itemqve "ut eo facilius scribi et legi possint (qvod et in

pore utebantur. d) *Scripta historica* (Sögur) tam de Islandorum qvam Exterorum rebus gestis (sá frodleikr er innanlandz edr annarstadar hefr giörz), qvorum tantum abest ut optima pars jam publici facta sit juris (juxta *F. Rühs Unterhalt. f. Freunde altd. u. altn. Gesch. u. Litt. Berl.* 1803. p. 96.), ut potius prolixum catalogum ineditorum, qvæ lingvæ, historiæ et antiqvitatibus Septentrionis post Christianismum insignem lucem affundere qveant, si locus hic esset, exhibere possem. Excerpta qvoqve ex scriptis vetustis, qvæ integra lucem non merentur, horumqve descriptiones criticæ cuivis borealis historiæ studioso exoptatissimæ venirent.

ö) Videmus hinc, qvanto in pretio scripta Nostri vel integro seculo post ejus mortem habita sunt, cum is solus instar omnium nominatim citetur.

hac regione nunc in usu est) tam leges et genealogiæ, qvam Commentarii sacri, aut etiam erudita illa opera, qvæ Arius ex sapiente ingenio literis mandavit, nobis Islandis alphabetum etiam exaravi. Hoc autem alphabetum omnibus illis instruxi litteris latinis, qvæ mihi præcipua sua in lingva nostra potestate gaudere visæ sunt, insertis etiam aliis, qvibus opus esse censui, remotis vero illis, qvæ ab eloqvio lingvæ nostræ discrepant".

Qvodnam hoc fuerit alphabetum, hærere non possumus, cum in seqventibus de literis ejus earumqve potestate prolixe verba faciat, eosdemqve nobis sæpius ob oculos ponat; sunt vero literæ latinæ, qvales a monachis corruptas exhibent plurimi ex ævo medio codices antiqvioris notæ.

Qvoad lingvam, qva Noster scripsit, dicit Præf. *Heimskringlæ* "*Ari* ritadi á norrænu mali". ɔ: Arius scripsit sermone Norvegico". Hanc vocem synonymam fuisse cum lingva danica eandemqve lingvam, scandinavicam nimirum, significasse, cujus reliqviæ pro tempore in sola Islandia vigent, qvæqve ideo nunc islandica audit, fuse demonstrarunt *P. Vidalinus* et *Erici* (ad *Gunnl.* S. p. 265). A. Sec. vero XIIItio lingva

septentrionalis *Norræna* et *norrænt mál* æqve frequenter appellata est ac *dönsk tunga*, imo frequentius; imprimis cum sermo esset de dialecto norvegica et islandica (ibid. p. 276). Diligentem scrutationem meretur Nostri libellus, tanqvam vetustissimum lingvæ Scandicæ monumentum; cujus qvidem ætatem compertam habeamus, minusqve exscriptorum incuria corruptum; id qvod de nullo alio scripto sine hæsitatione asseri potest, etsi carmina qvædam longe majorem sine dubio præferunt antiqvitatem.

Sectio Sexta.

Fides Arii historica.

Indoli humanæ congenitum est desiderium qvoddam; tum res anteactas cognoscendi, tum sui temporis memoriam posteris tradendi. Cuivis vero genti tempus fuit, qvo ars scribendi ipsi vel prorsus incognita fuit, vel saltem ad libros componendos nondum applicata *a*). Tunc Mo-

a) "Turpissimum esse putarunt omnes Europam inhabitantes Barbari, *literis* uti". *Æliani Varior* ed.

numenta illiterata & Carmina "unum apud illos memoriæ & Annalium genus" (*Taciti Germ. c. II.*) & *traditione orali b*) tam monumentorum signifi-

Gronov. 1733. L. VIII. p. 335. "*Litteras* nec fando Hunni novere". *Procopii Hist. Gothor. L. IV.* in *H. Grotii Hist. Gothor. Vaudal. & Longobard.* p. 465. cfr. *Pelloutier Hist. des Celtes* T. II. Paris 1770. 8. p. 240.

b) Memoriam veterum tam tenacem, qva carmina prolixa servarentur, nec incredibilem esse, nec nostro ævo inter gentes incultiores omnino exulare, probarunt Recentiorum de Homeri & Ossianis authentia disqvisitiones (*Wolfii Proleg.* in *Homer.* p. 59. 101-4. *H. Mackenzie* Report of the Committee of the Highland Society of Scotland, appointed to inqvire into the Nature aud Authenticity of the Poems of Ossian. Edinb. 1805.) Hinc fit, ut vetustissimi Medii ævi scriptores, traditiones orales, imprimis in gestis ad suam ætatem prope accedentibus, freqventer allegant, rarius scripta. Ex Islandis pro exemplo adducere licet præter Nostrum, *Gunnlaugum* et *Oddum Monachos* (*Ol. S. Tryggvas. ed. Skalh.* P. II. p. 329) et *Ericum Oddi f.* auctorem chronici Norvagiæ *Hryggiarstycki* dicti (*Heimskr.* T. III. p. 333. 347-48. &c.) Ex scriptoribus danicis instar omnium nobis sit *Saxo Grammaticus* (vid. Præf. de Absalonis as sertis) et *Sveno Aggonis* (Scr. Rer. Dan. T. I. p. 44.) Inter exoticos sese sistunt *Adamus Bremensis* (Sec. XI.) et *Helmoldus* (Sec. XII.) uterqve seriorum relationes inter fontes suos referens. Qvantam vero fiduciam ipsi antiqvi in traditione orali col-

catio qvam carmina ipsa conservata fuere. Hoc ævum *mythicum* audit *historicum* præcedens *c*).

Labente tempore, artis scribendi "primum "vagus rumor accuratæ præcurrens notitiæ, hanc, "longo interjecto spatio, rudium manuum imi-"tamina, atqve hæc postremo vulgaris usus & "conscriptio librorum secuta est" (*Wolffii Proleg. in Homer*, p. 57). Qvicunqve hisce artis scribendi Epochis non satis attendit, in antiqvæ historiæ Crisi titubare sæpissime deprehenditur.

locaverint, videre licet ex dictis *Theodorici Monachi* (*S. R. D.* T. V. p. 313.) "Veritatis vero sin-"ceritas in hac nostra narratione ad illos omni "modo referenda est qvorum relatione hæc anno-"tavimus, qvia nos non visa, sed audita conscrip-"simus". Cum qvibus mire consentiunt qvæ habet *Sigebertus Gemblacensis* (ad. An. 998. in *Pistorii Scr. Rer. Germ.* T. I. P. II. p. 824.) "Unde lec-"tor, qvæso, ut et hic et alibi si qva dissonantia "te offenderit de nominibus vel annis vel tempo-"ribus Paparum, non mihi imputes, qvi non visa, sed audita vel lecta scribo".

c) "Secula μυθικα - - - - - ubi veritatis amantissimi "homines traditionibus, non vero scriptis, res pre-"clare gestas memoriæ prodiderunt". (*O. Sperlingii Epp. ad G. Cuperum* in *Poleni Suppl.* T. IV. Col. 11 - 12). Hinc *fabula* apud medii ævi scriptores etiam vera narratio (*Du-Cange Gloss. ed. Venet.* T. III. col. 278) a *fari*, sicut islandicum *Saga* ab *at segia*.

Tale fuit omnis historiæ initium. Eundem apud Nostrates ortum habuit, eundem progressum; primum *traditio oralis*, *monumenta illiterata*, *carmina*, dein *monumenta literata* & postremo *Annales*. Unde vero & qvo tempore literas (Runas) nacti sunt, adhuc disceptatur, licet veri specie haud careat, easdem ex regionibus ad Orientem sitis, non dicam cum colonia Odiniana, verum per freqventia qvæ easdem & regna borealia intercedebant commercia, huc pervenisse.

Avero haud multum forsan aberrat, qvi statuit Runas ante Christianismum introductum, primum paucis Nostratium cognitas & ad incantamenta adhibitas fuisse (*Litterarum secreta* Tacit. *Run*, Ulph. *Chiruni*, Isidor. *Geryna*, A. S. ɔ: secretum), posteaqve iisdem *fastos* & *stemmata genealogica* lignis, imo tempore dictam Epocham proxime antecedente, *epitaphia d*) saxis insculpta fuisse (*Raunen*, *runen* secare, *Rende*, sulcus *e*).

d) A. 1806 in vico Glavendrup, Parochiæ Skammensis in Fionia, cippus runicus repertus est, a. V. Cl. *Abrahamsen* in *Scr. Soc. Scand.* 1806. Vol. 2do explicatus, in qvo manifesta Paganismi vestigia deprehendi, alio loco probatum ivi.

e) Vocabulum antiqvum *Runa* duplici gaudet notione, *mysterii* & *literæ*. Viri, summæ in re etymologica auctoritatis, *Wachterus* & *Ihre* primam no-

Religionis vero Christianæ Predicatores libros, materiam libris scribendis aptiorem & literarum novum genus secum introducentes, *carmina f*) & *Annales* scriptis complecti nostrates docuerunt.

Historiæ Islandorum relationibus oralibus, monumentis illiteratis & Carminibus *g*) super-

tonem fundamentalem esse statuerunt. Multa tamen sunt, qvæ mihi persvadent ut *Adelungio* (*Wörterbuch* Vol. III. p. 1297. 1536 - 37.) assentiar, qvi diversis hisce notionibus duplicem qværit etymologiam, priori nempe (*mysterio*) vetus illud germanicum *raunen*, *runen*, A. S. *runian*, susurrare, & posteriori *raunen*, *runen*, secare.

f) Non is sum qvi præfracte negem, carmina antiqva unqvam Runis exarata fuisse. Saltem vir qvidam in his studiis versatissimus me certiorem fecit, sibi in poematibus veterum loca corrupta & mendosa obviam facta, qvæ enodare non posset, nisi admittendo exscriptorem recentiorem in Runæ unius alteriusve lectione peccasse. Nec prætereundum est, *Thamium* V. Cl. eodem fere fundamento nixum admittere, historias islandicas usque ad A. 1000. Runis fuisse exaratas (*Göthiska Monumenter*. Stokh. 1794. p. 9 - 10.).

g) De Carminum usu historico vide qvæ habet præclara *Wolfius* (*Proleg. in Hom.* p. 119.). Ceterum de Carminibus Nostratium vetustis seqventia sunt observanda. Erant tam brevia & intricata, cursuqve temporis tam obscura reddebantur, ut sensus rectus posteros necessario latuisset, nisi Expositio

structæ sunt. Qvantum fidei ipsis in totum tribuendum esse censeam, jam dictum est; singularum vero fidem ex fontibus qvos adiisse deprehenduntur, crisis historica dijudicabit. Cæteroqvin probe distingvendum est inter scripta Islandorum anonyma, et nomen autoris præferentia, inter ea, qvæ res ab auctoris ævo nimis remotas eaqve, qvæ facta narrant, qvorum vel ocularis

oralis, obscuris lucem addens, eaqve, qvæ carmen brevius perstringit, fusius perseqvens, accessisset. Hæc cuivis, historias veterum, attente perlustranti facile succurrunt. Qvomodo v. c. *Snorrius*, omnia qvæ in *Ynglingasaga* habet, ex Strophis carminis *Ynglingatal* a se citatis eruisse crederetur, nisi tali explicatione orali instructus; talibus vero & is & Auctor, qvisqvis est, Eddæ recentioris, scripta sua, superstruxerunt. Ejusmodi explicationum (qvales sine dubio sunt præfationes prosaicæ Poematum Eddæ Sæmundinæ) qvicunqve bonam partem memoria tenebat, forte titulo *frædimadr* insigniebatur. Similis fere est ratio poematum linqva ersica compositorum: "To each af "those Poems - - - - - was prefixed a prefatory "Dissertation, containing some Account of the "*Sgealachd*, story or argument, of the poem which "is to follow. Those *sgealachds*, it was very com"mon for the reciter or history man - - - to give "to his hearers, before he began to repeat the "poems to which they related". (*Report of the "Highland Society* &c. p. 108-9.)

vel auritus existere potuit testis. Gentes qvod attinet, qvarum historia tractatur, *minorem* Islandis in rebus Danicis et Svecicis, *majorem* in Norvegicis fidem tribuendam esse censeo, cujus ratio neminem, in monumentis islandicis versatum et statum insulæ politicum ejusqve cum reliqvo orbe arctoo nexum considerantem, fugere posse confido. De scriptis islandicis, historiam patriam referentibus, qvemvis spero, in iisdem modo non perfunctorie versatum, responsum paratum habere, eandem nempe in genere ipsis ac cæteris Medii ævi Chronicis, in historia vernacula fidem tribuendam esse, nec nugas aniles de præstigiis, somniis et miraculis, magis obstare, qvo minus præclara multa, qvæ ad historiam et genium ævi antiqvi illustrandum habent, in usum tuum convertas, qvam easdem apud Græcos et Romanos obvias. Historia civitatis islandicæ, non, ut reliqvi orbis borealis, tenebris mythicis obvoluta, condita demum civitate oritur, atque ut congeries relationum de rebus gestis singularum familiarum erit spectanda. Verum mirumne est, in gente, cui fortia facta patrum curæ cordiqve fuisse novimus, qvamlibet familiam totis viribus operam dedisse, ut historia sua ad posterorum notitiam sarta tectaqve perveniret.

Si vel omnem artem scribendi in Septentrione ante Christianismum ignotam fuisse concedam, qvod minime asserere audeo, nullo tamen modo absurdum est, genealogias et præcipua momenta historica, ope traditionis oralis, cantilenis, nominibus locorum, monumentis &c. sublevata, per annos 130 (a. C. 870 - 1000) conservari potuisse, usqve dum literis consignarentur. *h*).

Auctor a prima occupatione Islandiæ, juxta ejus calculum A. C. 870 duobus fere sæculis ante se natum facta, Chronicon suum exorsus ad A. 1134 per spatium 264 annorum illud continuat. Qvæstionem, an et qvatenus de rebus tamdiu ante suam ætatem gestis, certi aliqvid ipsi constare potuerit, pro parte supra tractavimus; vi-

h) Notabilem hac de re locum exhibet codex qvidam historiæ *Landnamabók* (vid. Præf. ed. Havn.) cujus ultima hæc sunt: "enda ero sva allar vitrar "þioder, at vita vilia upphaf sinna landsbygda eda "hvers hverge til hefiast, edr Kynsloder". ɔ: "deniqve omnibus populis, qvi scientias coluerunt, curæ cordiqve semper fuit, ut habitationum patriæ initia et incrementa, seriemqve majorum diligenter perqvirerent."

dendum jam, ex qvibus fontibus notitiam suam hauserit, qvoqve modo iisdem fuerit usus.

Ex fontibus, qvos generatim citant Historiæ islandicæ, Carmina et monumenta in Schedis nunqvam occurrunt, si excipias fragmentum carminis famosi Hialtii Skeggii f. (Cap. VII. *i*)); ex freqventi tamen eorum allegatione in *Landnamabok* credere licet, opus illud deperditum etiam hisce auctoritatibus superstructum fuisse. In *Schedis* vero, tanqvam prioris operis compendio, hæc brevitati consulens omisisse videtur, imprimis cum opus illud majus tunc temporis omnium manibus tereretur. Objiciat tamen aliqvis ex *Præf. Heimskringlæ*, carmina inter auctoritates Nostri non recensente, haud temere concludi posse, eadem a Nostro non nisi parce allata fuisse; cum verba ultima præfationis Snorrianæ reprehensionem qvandam hac de causa, involvere videantur. Summis enim laudibus fidem Nostri efferens, et de traditionibus, qvibus adjutus fuerat, verba faciens, hæc addit: "Enn qvædin þykia mer sizt ur stad færd, ef þau

i) Ita et *Kristni S.* p. 66. Plenius vero hæc Cantilena exhibetur in *Olafs S. Tryggv. ed. Scalh.* P. II. p. 220. *ed. Reenhielmii* p. 137. & *Nidls S.* p. 160.

"eru rett qvedin oc skynsamlega upptekin". ɔ: "Ceterum carmina, modo fuerint rite decantata "scienterqve percepta, minime omnium a vero "trahi sensu atqve depravari posse mihi viden-"tur *k*)".

Traditiones vero orales tam freqventer laudat Noster, ut jure dicas, integram opellam iisdem esse superstructam; qvæ fidei ejus nullo modo detrahere possunt cum hominibus debeantur, qvi de relatis plenam notitiam habere poterant, nec res attingant ab ætate sua nimis remotas. Suam vero sententiam *Snorrius* de his relationibus nobis aperit in *Præf. Heimskringlæ*: "þvi var eigi undarlegt at *Ari prestur* væri sann-"frodr at fornum tidindum bædi her oc utanlands "at hann var sialfur námgiarn oc vitur oc min-"nugur, enn hafdi numit at gömlum mönnum "oc vitrum" ɔ: non (igitur) mirum, prisci ævi "rerum tam intra qvam extra patriam veram no-"titiam doctum fuisse Arium, qvem instruxerant

k) Postquam hæc scripsi, schedula msta A. Magnæi mihi se obtulit, qva statuit, carmina ab Ario tanqvam scriptore breviatis studioso & circa veritatem historicam admodum sollicito, non citata esse, verum a Snorrio, utpote Poeta, chronico suo inserta.

"viri ætate provecti atqve rerum scientissimi, "qvemqve ornabat discendi cupido et felix memoriâ.".

Testes qvorum auctoritate nititur, seqventes sunt:

1. *Teitus Isleifi* Ep. Skalh. filius Nostri in Schola Haukdalensi condiscipulus, qvi in *Kristni S.* (p. 106) *magnificus* (hinn marglati) audit. (cfr. supra p. 6.). Is pluribus locis laudatur, scil. Cap. I. p. 6. de tempore occupatæ Islandiæ ("at ætlon oc tolo Teitz") Cap. III. p. 14 de legibus Ulfliotinis Cap. VII. p. 38 de reditu Gissuri et Hialtii ad Islandiam cum sacerdote Thormodo, qvæ Teitus tradidit sibi ab aliqvo tunc præsente relata fuisse. Eod. Cap. p. 46 de Christianismo in Islandiam introducto. Cap. VIII. p. 48, Nomina Episcoporum extraneorum in Islandia & Cap. IX. p. 56, qvæcunqve de Isleifo habet eidem accepta refert. Ingentem hujus traditionibus Noster fidem tribuisse videtur. Cap. I. p. 6. vocat eum sapientissimum (Spakastann) qvem novit.

Verisimile est Isleifum, pro suo tempore literis sat versatum, cujusqve patris Gissuris in Islandia ad Christum convertenda insignis fuerat auctoritas, filio suo multa de antiqvissima Islan-

diæ historia tradidisse, qvorum hic postea Nostrum certiorem fecit.

2. *Thorkilli Gelleri f.* patrui Nostri, qvem felici polluisse memoria tradit, (er langt mundi framm), auctoritatem laudat in narratione de tempore occupatæ Islandiæ (Cap. I. p. 6), de tributo *Land-Aurar* (Cap. II. p. 12), de inhabitatione Grönlandiæ, prout ipsi a qvodam Erici Rufi in Grönlandiam comite relatum fuit (Cap. VI. p. 34).

3. *Thurida* nata circa A. 1024 (Ann. Reg. in S. R. D. T. III. p. 49.) denata A. 1112 ætatis LXXXVIIIvo; patrem habebat *Snorrium* pontificem Thorgrimi f. in historia Islandiæ famosissimum (A. 963. † 1031. Ann. Reg. l. c.) maritumqve Gunnlaugum Steinthori f. (*Landnámabók* P. II. c. IX. p. 87). Videtur hæc fæmina nominis qvadam celebritate inter suos floruisse, *sapiens* enim (hin spaka) salutatur (*Landn. bök* l. c.) et a Nostro (cap. I. p. 6.) ubi de occupatione Islandiæ allegatur, laudem peritiæ et veracitatis reportat (es bæþi vas margspoc oc oliugfroþ); ipseqve *Snorrius* (Præf.) affirmat, eam fuisse prudentissimam (hun var spök at viti) parentisqve sui Snorrii memorem. Avus Thuridæ paternus Thorgrimus n. A. 938 prima Islandiæ occupatione

LXX. modo annis inferior fuit (*Ann. reg.* l. c.); qvocirca nemo Nostrum rideat fæminam consulentem, nec tanqvam fabularum anilium sectatorem immerito proscindat.

4. *Hallus Orækiæ* f. de qvo nil amplius investigare potui, laudatur Cap. III. p. 18 in narratione de bonis cujusdam Thoreri Kroppinskeggi, usui comitiorum addictis.

5. *Ulfhedinus*, cujus patrem Gunnarem sapientem (hinn spaka) dictum bis nomophylacem fuisse Noster perhibet (Cap. IX. p. 56. cfr. *Ann. Reg.* ad Ann. 1075). Nomophylacis muneri post Marcum Skeggii f. novennio præfuit, et commemoratur in *Ann. Reg.* ad A. 1108. Laudatur Cap. VI. p. 30 in narratione de terræ in qvadrantes divisione, et idem forte Ulfhedinus est, cui debetur relatio Nostri Cap. IV. p. 20 de fundo comitiis addicto. Etsi cognomen patris ejus (hinn spaki) stricte nec sapientem nec eruditum denotet, indigetare tamen videtur, eum historica qvadam scientia fuisse præditum; qvæ vero Noster ab eo didicit, ei tanqvam nomophylaci et debuerunt et potuerunt constare.

6. *Sæmundus multiscius* Cap. VII. p. 46. de anno mortis Olavi Thriggvii f. allegatur; num vero per vocem *Saga* (at sögu Sæmundar) tradi-

tio oralis, an Chronicon Sæmundi deperditum indigitetur, nec *Magnæus* nec *Bussæus* decernere ausi sunt. Ultimum tamen mihi imprimis arridet, cum de calculo chronologico hic sermo sit. Ipse forte Sæmundus in opere retractando hoc addidit.

7. *Hallus Thorarini f.* Haukdalensis, cognomine *liberalis* (hinn mildi) n. A. 996 den 1090 ætatis 94, vir suo tempore in Islandia celeberrimus (*Sched.* Cap. X. pag. 58. *Heimskr.* Tom. I. Præf.). Laudatur. Cap. X. p. 58. in narratione de morte Isleifi, ibiqve laudem reportat fidæ memoriæ et veracitatis (es bædi vas minnigr oc olyginn), et meminisse narratur baptismi sibi trienni a Thangbrando collati. Juxta *Snorrium* (*Præf.*) sapiens fuit et multorum rerum memor (madr forvitur oc minnigr). Procul dubio Noster permulta ex ejus ore hausit, etsi semel modo ejus mentionem facit.

8. *Gissurus Isleifi* f. patris in Episcopatu Skalholtensi successor (1118) particularia qvædam de vita sua cum Nostro communicavit Cap. X. p. 60.

9. *Marcus Skeggii f.*, nomophylacis munere per Annos XXIV. (1084 - 1108) functus, poeta erat sui temporis insignis, cui imprimis adscri-

benda est decimarum in Islandia introductio (*F. Joh. H. E. J.* T. I. p. 214). Elogium ejus lege in *Hungurvaka* p. 46. Qvid ab eó didicerit Noster, ipse prodit Cap. X. p. 60. "At hans sogo er scri-"fod ævi allra lögsogo-manna á Bók þessi, þeirra "es varo fyrir vart minni: Enn honom sagdi "þorarin broder hans oc Skeggi fadir þeirra oc "fleirri spacir menn, til þeirra æfi es fyrir hans "minni varo; at þvi es Biarni hinn spaci hafdi "sagt fodorfader þeirra, es mundi þorarinn lög-"sogumann, oc VI adra sidan". ɔ: "Secun-"dum illius relationem in hoc libello annotavi-"mus ætates nomophylacum, qvi nostram præ-"vertere memoriam; istam vero notitiam om-"nium, qvi ante ejus ætatem fuere, partim de-"buit Thorarino, fratri suo, partim Skeggio "utriusqve parenti, et sapientibus viris pluribus, "prout his narraverat Biörnus sapiens, avus illo-"rum, qvippe qvi Thorarini nomophylacis, æqve "ac, post hunc qvi vixere sex aliorum, probe me-"mor erat". Primus nomophylax, cujus mentionem facit (Cap. III. p. 20.) avus Marci paternus fuit Thorarinus circa A. Chr. 950. (*Ann. Reg. S. R. D.* Tom. III. p. 33). Reliqvi sex erant Thorkillus Mani circa A. 970 (*Sch.* Cap. V. p. 30) Thorgeirus de Liosavatn circa 985. (ibid.),

Grimus Mosfellensis circa 1002 (Cap. VIII. p. 50) Skaptius Thoroddi f. circa 1004 (ibid.), Steinus Thorgesti f. circa 1031 (ibid. p. 52), et Thorkillus Thiörvii f. circa 1034 (ibid.). Nil mirum, Marcum, qvi et ipse nomophylax, perfectam habuisse notitiam de antecessoribus suis in munere nomophylacis.

Monumenta vernacula, *literis consignata*, a Nostro expresse non citantur, si vel ipsi ad manus unqvam fuerint (vid. supra de Sæmundo). Scriptum vero exoticum ab eo citatum reperimus Cap. I. p. 8., de anno emortuali Regis *Edmundi*, *historiam nempe S. Edmundi* (at þvi es ritid es i *Sogo hans*), Bussæus hic intelligi vult opus Nostri deperditum; propius vero ad scopum accedere videtur *A. Magnæus*, qvi Nostrum ad *vitam S. Edmundi* ab *Abbone Floriacensi* jussu regis Ethelredi et S. Dunstani circa A. 985 vel paulo post conscriptam, provocare statuit *l*).

l) Exstat in *Actis Sanctorum* ad *Novbr.* XX. p. 440-44 sub titulo: "Historia S. Eadmundi Regis Angliæ et "Martyris Autore Abbone Floriacensi Abbate, qvi "claruit A. Chr. 970"; et identica forte est cum *Passione S. Eadmundi*, qvam citat *Simeon Dunelmensis* (*Twysdeni Hist. Angl. Scr. X, Lond.* 1652. Fol. p. 143). Subjungit Editor *Surius* annotationem, qvæ *Nicolsonium* (*Hist. libr.* Lond. 1764 *engl.*

Constat exinde, Islandos Sec. XIImo unum saltem librum exoticum argumenti historici habuisse, et hunc qvidem ex Anglia, cui cultum suum literarium maxima ex parte acceptum ferebant *m*).

Creberrime ab historicis vetustis allegantur anonymæ auctoritates: *ita relatum est* (Sva er sagt, sva er mælt) *n*). Concedo qvidem, vagis ejus-

lib. p. 87) plures de S. Edmundo scripsisse referentem, suffulciunt: "Hoc loco seqvebatur libel-"lus de miraculis S. Eadmundi Regis et Martyris "sed alio, ut eqvidem censeo, autore, qvi qvod "verbosior erat, et non pauca libelli capita dee-"rant, eum ad vitandam prolixitatem omisimus".

m) Vestigia exstant antiqvi inter Scandinaviam et Britanniam Hiberniamqve commercii. Jam ante adventum colonorum Norvagorum, Islandia Hibernis haud ignota fuit, qvi ibidem hiemare coacti, vel vitam soliteriam degentes, sui vestigia reliqverant, inter qvæ *libros hibernicos* commemorat *Arius* p. 10. Dein plures sacri ordinis ex Hibernia et Anglia Islandiam petierunt (*Hist. Eccl. Isl.* T. I. p. 36. 86), qvorum aliqvem *vitam S. Edmundi* secum advexisse haud temere concluditur; cfr. *J. Grammium* in *Actis Soc. sc. Hafn.* T. I. p. 32-35, & meam de Monumentis hibernicis in Dania dissertatiunculam Diario *Nye Minerva* 1807. *Octobr.* insertam.

n) Respondet gr. *φασιν*, *φασιν τινες*, lat. *dicunt*, *ferunt*, *tradunt*, *perhibent*. cfr. Wolffii Proleg. in Homer. p. 77.

modi relationibus haud insignem tribuendam esse fidem, plurimasqve fabulas insulsas in fronte præferre: "sva er sagt"; ubi vero de temporibus, a scriptore, qvoad cætera candido et circumspecto, haud ita remotis sermo est, haud prorsus, me judice rejiciendæ sunt, et monstrant saltem, auctorem totis viribus cavisse, ne qvid proprio ingenio finxisse videatur. Sic apud Nostrum reperimus Cap. II. p. 8. de Ingolfo aborigine, de qvo vere dictum est, (es sannliga es sagt); p. 10 de ætate Haraldi Pulchricomi et Cap. III. p. 16 de Grimo sodali Ulflioti, proditum est, (sva er sagt); p. 20. de tempore excultæ Islandiæ, ita prodiderunt periti (sva hafe spaker menn sagt); et idem fere, "at tölu spakra manna" ibidem de anno emortuali R. Haraldi. Cap. X. 72 de qvibusdam calculis, ut in commune est traditum (at þvi es talit er).

Lectori, ut cautionem in libello utendo adhibeat, Noster ipse auctor est in Prologo: "Hvatki es missagt es i frædum þessom, þa es "scyllt at hava þat helldr er sannara reynist". ɔ: "Si qvid in his aberratum est Narrationibus, ip"sa dictat æqvitas, valiturum illud qvod plus ex "vero trahit". (Si qvid rectius nosti, candidus imperti. Horat). Similem candorem produnt

plures scriptores antiqvi, qvorum exempli instar sistam *Theodoricum Monachum* (in *Prol. Hist. de Reg. Norv. S. R. D.* T. V. p. 313) "sed qvia valde "difficile est in hisce (loqvitur de ætate Pulchri- "comi) ad liqvidum veritatem comprehendere, "maxime ubi nulla opitulatur scriptorum autori- "tas, istum numerum nullo modo *volumus præ- "judicare* certiori, si repiriri valet".

Attamen hunc candorem Nostro vitio vertit *Adelungius* V. C. (*Beckers Erholungen* 1797 Vol. IV. p. 146), a vero hujus loci sensu omnino aberrans. Pro viribus supra monstravi, Nostro de occupatione Islandiæ verum potuisse constare. Unde vel nimio pruritu pyrrhonizandi inductus, vel qvia fontes historiæ arctoæ non nisi summis labris degustaverat, vir ceteroqvin multifaria eruditione insignis, de Pulchricomo unqvam existente, Islandiaqve circa A. 870 inhabitata, dubia movere ausus est.

Qvoad scriptum Nostri duo occurrunt examinanda, *stemma nempe genealogicum* Schedis subjunctum et ejus *chronologia.*

Medii ævi homines, genealogias et ejusmodi frustilla, alioqvin interitui obnoxia, scriptis majoribus subjungere consveverunt, ut cum hisce conservarentur. (*Hickesii Thes.* T. III. Ep.

ad Shoverum. *Troils Briefe* p. 308) *o*). Ideo codici Upsaliensi Eddæ recentioris, stemmata affixa habentur, et Noster genealogiam suam, forte ne nomen ejus periret, calci operis sui adjunxit *p*). In ea vero natales suos per generationes XXXV sive seriem plusqvam M. annorum ab Yngvio inde rege Turcarum filio Odini, deducit. Qvantumcunqve alias candori *Arii* tribuo, hic tamen *Adelungio* adsentire cogor (*Erholungen* l. c. p. 146), Nostrum vitio temporis sui, originem, a persona qvadam inclyta et remota, deducendi, more plurium Medii ævi Annalistarum, abreptum fuisse. Oleum me studiumqve perdidisse crederem, si hanc genealogiam cum ceteris ejusdem generis, v. c. *Ynglinga-Tall*, *Langfedga-Tall*, *catalogis A-Saxonicis* &c. comparare, qvonam ætatis anno qvivis liberis procreandis operam dedisse inceperit, exqvirere, et inde ætatem horum omnium pro parte forsan non-

o) De ratione studii genealogici veterum, vide qvæ habet Diarium *Zeitung für Liter. u. Kunst in den Königl. dän. Staaten* 1807. No. 10.

p) Arium in hac genealogia concinnanda, serie Regum Septentrionis *Langfedgatal* dicta usum fuisse, auctor est *Langebekius Scr. Rer. Dan.* T. I. pag. 1.

entium historicorum constituere aggrederer. Huic potius operæ supersedere mihi liceat, cum plures historicorum nostrorum eruditissimi, eam in se susceperint; dolendum vero, nemini fere, de talium genealogiarum fide, dubium aliqvod obortum esse. *Schöningius* (*diss. de chronol. Veteri Hist. Scand.* in libro ejusd. *de orig. Gent. sept.*) etiam huic Nostri genealogiæ chronologiam suam superstruxit, ejusqve inprimis cum *Ynglinga-Tall* mirum ostendit consensum, et post multas scrutationes, omnibusqve difficultatibus, etiam iis, qvæ ex ætate regis Anii CCX. annorum oriuntur, victis, conclusionem de ætate regum borealium ante Christianismum deducit, nemine qvidem refutandam, si modo ipsis genealogiis sua constaret fides. Nostri vero genealogiæ minime difidere audet, utpote a scriptore candido profectæ; qvasi scriptorem alias candidum interdum incessere non posset fingendi qvidam pruritus. Etiam *Suhmius* (*Hist. Crit.* T. I. p. 398-401 et *Tabell. ad Hist. Crit.* Tab. XIX) in Genealogiam Nostri fuse commentatus est. Ad hos igitur duumviros lectorem ablego, ne Iliada post Homerum condere videar.

Inter merita Nostri illud non ultimum habendum est, qvod præter morem coævorum et

popularium suorum, annos expressè adjecit, (*Heimskr.* T. I. *Præf.* T. II. p. 313. *Suhm Hist. Crit.* T. I. p. 535. cfr. *J. Gammii Schediasma* p. 106-7.). Islandiam Anno emortuali S. Edmundi 870, in qve eum scriptoribus Anglicis consentit (*Chron. Sax. ed. Gibson* p. 80.), inhabitatam esse statuit. *Historia* autem *Olavi Tryggvini* (*Ed. Skalh.* P. II. C. V.) & *Arngrimus Jonæ* (*Crymogæa* p. 18) A. 874 pro vero habent, sed de qvatuor annorum differentia in rebus tam vetustis disceptare ineptum esset. Chronologia ejus seriei Nomophylacum Islandiæ, qvos ab A. 930 ad initium Sec. XIIdi enumerat, imprimis nititur; eam vero funditus hic examinare et tediosum credo et superfluum, cum de eadem *Torfæus* et *Magnæus* (*Epist. ad Eggert. J. Lopt.* p. 72 et 73, 84, 89, 92-97, 101-3, 107 et 108.) *Schöningius* (*Tract. de chronol. Sept.* p. 23 sqq.) et *Suhmius* (*Hist. Crit.* T. I. p. 535-39) tam multa præclare disserant ut ego ne verbum qvidem habeam, qvod addam; attamen lectorem rogo ut attendat inconstantiæ, qvam ipse *Torfæus*, qvem cum *Schlözero* summum in litteratura Islandica criticum salutare dubito, in chronologia historiæ veteri septentrionalis deprehendere visus est. Observanda inprimis dicta ejus Ser. p. 92 et 97.

Nil fabulosi habent Schedæ, nullum factum per se incredibile, tradunt. Unico loco somnium, qvalibus alias scatent historiæ islandicæ, commemorant Cap. IV. p. 22-24; qvo nempe Thorstein Niger, ad consilium suum de anno intercalari dandum, fuit inductus. Talis vero somnii ratio cuivis patet. (cfr. *J. Gammii Schediasma* p. 93.)

Narrationem habet Noster C. VII. p. 44 de regibus binis Norvegiæ et Daniæ, qvi longo temporis tractu bella invicem gesserant, usqve dum subditi, ipsis etiam invitis, utrinqve pacem conderent. Idem tradit *historia Olavi Tryggvini f.* (*Ed. Skalh.* P. II. p. 243 et 44) et *Kristni Saga* (C. XI. p. 98.), qvæ etiam nomen danico Regi Dagum et Norvegico Tryggvium tribuit. Historiæ vero islandicæ regum alias innumera fere nomina præferentes, nullibi regum coævorum ejus nominis et regni mentionem faciunt (*F. Joh. H. E. J.* T. I. p. 67). *Torfæus* ultro fatetur eosdem sibi nominatim haud notos esse, Kristni-Sagæ ut videtur immemor (*Hist. Norv.* P. II. p. 431). Auctor annotationum in *Kristni S.* l. c. conjicit, eos fuisse regulos qvosdam, vel archipiratas, de qvibus nobis nil memoriæ prodidit antiqvitas. *Suhmius* vero (*Hist. Crit. Tom.* I. p. 239-43 et

540. et Tom. II. p. 471-73) prolixam de hac materia habet discussionem, multasqve adducit conjecturas, qvarum tamen nulli præ alia favere videtur.

His perpensis unumqvemqve seqventi de Nostro sententiæ subscripturum confido: Fuisse candoris plenum annalistam, qvi ea qvæ de historia patriæ suæ vere comperta haberet, tenui qvidem stylo & nimis forsan brevi, sed fabulis et nugis incorrupta & omnis ornamenti expertia posteritati traderet *q*). Nec aliter de eo judica-

q) *Nestorem* antiqvissimum Russiæ annalistam ab Editore *Schlözero* summis et meritis laudibus elatum, pervolvens, haud exiguam inter eum et *Arium* convenientiam deprehendere visus sum. Uterqve coævus (*Nestor* n. 1056. *Arius* n. 1067) sacri ordinis homo, et ab origine civitatis suæ binis fere seculis remotus erat. De utriusqve vita pauca nobis constant. Nostrum commendat auctoritatem, licet oralium freqvens allegatio, qvam apud *Nestorem*, saltem in Chronici ejus parte, qvam mihi inspicere licuit, raro offendi; licet *Schlözero* auctore (*Nestor von Schlözer* I. Th. p. 13. II. Th. p. 32) ex relationibus oralibus, inprimis Monachi cujusdam vetusti († 1106), permulta hauserit, & monumenta simul illiterata pluribi laudat (cfr. l. c. T. II. p. 50. 344. T. IV. p. 106). Scripta vernacula Neuter ad manus habuisse videtur (l. c. T. I. p. 13.). *Nestor* in eo felicior judicandus est, qvod civitas,

runt summi illi critici *Magnæus*, *Sperlingius*, *F. Johannæus*, *Schlözerus* & q. s. a. Nostris vero temporibus *Adelungius* V. Cl. nulli jam enumeratorum, historiæ scandicæ scientia æqviparandus, Nostri scriptum fabulis Islandorum insulsissimis adnumerare haud erubescit. Ita enim ille in libro dudum citato (*Erhol.* 1797. IV. B. p. 144) "Bleibt "wohl kein Zweifel übrig, dass die Erzählungen "welche Are schriftlich aufsetzte, blosse Dich-"tungen langer Winter-Abende gewesen" hæc de chronico Nostri deperdito scribit. Et infra pag. 145 de Schedis "Wie durftig die Qvelle der "mundtlichen Ueberlieferungen geflossen seyn "muss, erhellet aus der Kurtze der Nachrichten "von der ersten Bevölkerung Islands im Jahre "870 an biss 926. welche einige wenige Qvart-"Seiten einnimt, ungeachtet es diesem Zeit-"Raume an wichtigen Begebenheiten nicht fehlen konnte". Certe plura, hoc temporis intervallo, memorabilia evenerunt, a Nostro non tradita, haud vero in patria ejus, cujus modo hi-

cujus historiam scribendam sibi sumserat, ad summum deinceps fastigium pervenit; cum econtrario Respublica, qvam Noster patriam agnovit, a continente tanto spatio remota, historiam modo domesticam haberet, nec ætatem qvatuor Seculorum attingeret.

storiæ compendium sibi scribendum sumserat. Plura & majora eum in opere illo deperdito tractasse arguit chronicon Snorrianum, illi pro parte superstructum. "und da sich auch dieses wenige "bloss auf die Aufsagen unaufgeklärter Perso"nen grundet, welche dritthalb Jahrhunderte "nach dem erzählten Begebenheiten lebten, so "siehet man wohl, dass auch hier an keine hi"storische Gewissheit zu denken ist, daher mann "immer noch fragen kann; hat es wirklich einen "Harald Schönhaar in Norwegen gegeben. Hat "er wirklich um die angegebene Zeit gelebt. Ist "Island wirklich 870 auf die angegebene Art be"völkert worden? &c." Has objectiones jam a me refutatas esse confido.

Sectio Septima.

Scripta anonyma, qvæ Ario recentiores tribuere, sed plerumqve absqve sufficienti ratione,

seqventia sunt:

I. *Sagan af Gunnlaugi Ormstungu og Skald. Rafni*, ɔ: *Historia Gunnlaugi Vermilingvis et Rafni poetæ* (*Havn.* 1775. 4to.).

Hujus historiæ codex pergameneus bibl. Holmiensem ornans et *A. Magnæo* judice ante A. C. 1360 exaratus, talem præfert titulum: "Saga "þeirra Rafns oc Gunnlaugs Ormstungu, eptir þi "sem sagt hefir *Ari Prestr hinn fródi þorgilsson*; "er mestr fredi madr hefr verit á Islandi a lan-"náma sögur oc forna frædi"; "qvi inter omnes "Islandos historiarum de terræ occupatione re-"rum antiqvarum peritissimus fuit". Eandem fere inscriptionem habet apographum recens permediocre inter Magnæana No. 500 4to. Hæc qvidem ostendunt, constantem Sec. XIVti hanc de scripti auctore traditionem fuisse, qvæ judice *J. Erici* (auctore Præf. in Gunnl. S. p. VIII) sua probabilitate haud caret. Attamen cum codex Holmiensis valde interpolatus ab antiqva matrice descendere non videatur, et Codex mbr. Magn.

547. 4to ex antiqviore exemplo transscriptus hoc titulo careat, Nostro absqve sat sufficiente ratione, prædicta historia tribui videtur. Qvocirca vel cum *O. Wormio* (*Sched. ed. Oxon.* p. 192) statuendum est, Arium aliqvid hac de re in Adversariis suis scriptum reliqvisse *r*), vel cum *J. Erici* (l. c.) scriptorem ea, qvæ postea litteris mandavit, Nostrum viva voce narrantem audivisse, huncqve a nutricio suo Hallo Haukdalensi, utpote his gestis coævo, hæc omnia didicisse. Vidimus enim supra, vocabulo *Fyrirsögn* tam scriptum qvam relationem oralem indigetari.

II. *Gunnlaugs Sagam*, *Laxdæla S.* et *Heidarviga S. s*), Nostro adscribit *Biörno de Skardsá* (in suis ex historiis islandicis excerptis, vid. *A. Magn. Comm.*) et eidem cum posteris *Annales*

r) Qvod confirmat Inscriptio Codicis Heimskringlæ Frisiani: "Her hefur upp Konunga-bók eptir Sögu "Ara Prests hins Froda". ɔ: Hic oritur historia regum iuxta relationem Arii" qva indicari novimus Snorrium ex opere Arii hausisse.

s) *Heidarviga Saga* ɔ: historia de Cæde Heidensi, cujus modo reliqviæ adhuc supersunt, citatur in *Landnama - Eyrbyggia- & Laxdæla Saga*, adeoqve hisce, & sine dubio plurimis, qvæ hodie exstant, Islandorum historiis, antiqvior habenda est. *Gunnlaugs Ormstungu S.* p. 10 - 11.

Flateyenses t), nullum tamen argumentum adferens.

III. "In pervetusto Sveciæ et Norvegiæ Chro-"nico, partim latinis, partim gothicis litteris "contexto", Nostrum inter poetas veteres recenseri ait *Messenius (Retorsio imposturarum, qvibus inclytam Svecorum Gothorumqve nationem Pet. Parvus insectatur* 1612 *s. l.* 8. p. 14.) Verum pro certo scimus, nulla sub Nostri nomine antiqva carmina exstare.

IV. *Historiæ S. Olavi* auctorem *Aronem Trogilli* fecit *J. Loccenius* (*Hist. Svec. ed.* 1662. pag. 64. et 1676. p. 62.) sine dubio deceptus præfatione *Historiæ S. Olavi* in qvibusdam codicibus (ex. gr. Cod. Chart. N. 73 Fol.) præfixa, et ex præfatione Snorrii compilata, qvocirca etiam *O. Sperlingius* (*Comm. de lingv. Dan.* p. 5.) eam hic præpostere esse præmissam, et revera ad universum Snorrii Chronicon pertinere credidit. Talem codicem ad manus habuere *Wormius* (*Præf. ad Chron. Norv.*) et *Verelius* (*Not. ad Histor. Herv.*

t) Cui etiam consentit Langebekius S. R. D. T. 3. pag. 1.

p. 40. 41. 80. 168. Explicit *Chronicon S. Olavi rythmicum* (*Ed. Hadorph*) his verbis:

Nu är ända hwad Ari skreef
Hwad S. Olaf sielfwer dreef.

qvæ verba etiam *H. Einari* (*Sciagraph. Hist. Litt. Isl.* p. 126) seduxerunt ad eandem Nostro tribuendam *u*).

V. *Calendarium* Nostro tribuit *Resenius*, (*Præf. ad Lex G. Andreæ* p. 12.) forte codicem computisticum (vid. supra p. 52-55) in qvo Arius citatur, cogitans.

VI. *Kristni-Sagam* Nostro adscribit *N. P. Sibbern* (*Bibl. Hist. Dano-Norv. Hamb.* 1716 p. 74) a *Bussæo* (*Præf. ad Sched.*) notatus. Juxta sententiam Præfatoris Havniensis (*J. Finnæi?*) pro auctore habendus est *Haukus Erlandi f.*, qvem tamen *Suhmius* (*Crit. Hist.* Tom. IV. Præf. p. XVIII.) huic historiæ manus saltem admovisse autumat.

u) Extat in Archivo Antiqvitat. Holmiensi, Codex membr. Bergi Abbatis, in qvo Chronicon *Konga-bok* dictum ab Haraldo Pulchricomo ad S. Olaum, Nostro a Donatore Sparfwenfeldio adscribitur, vid. *Catal. Msstorum island. in Arch. Antiqv. Holm. a Langebekio descrip. Mss.*

VII. *E. J. Biörner* (*Præf. ad Vol. Histor. Nordiska Kæmpa-dater Holm.* 1737 fol. p. 13). Nostrum auctorem facit *Originum Norvegiæ* (*Fundin Noregr*) dictis historiæ *Landnámabók* (P. IV. c. VII. p. 297) imprimis nixus *v*), cui adsentire videtur *Suhmius* (de Finnis in *Ejusd. saml. Skr.* XI. T. p. 286).

v) *Norvegia reperta* (*Fundin Norvegur*), vulgo *Origines Norvegiæ*, relatio est de prima occupatione Norvegiæ cum regum genealogiis, extans in *Codice Flateyensi* A. C. 1387. exarato, cui omnia, qvotqvot adsunt recentiora exemplaria originem debent; Mythus de Fornioto antiqvior jure censetur (*Hrafnag. Od. Str. XVII Thorsdrapa*) et de Noro Goroqve qvædam habentur in *Landnámabok* (p. 297). Complures tamen historiam Norvegiæ huic fundamento superstruere jure hæsitarunt videlicet *J. J. Venusinus* (*Theses de Fabula* &c. *Hafn.* 1605. 4. p. 142-161). *A. Magnæus* (vid. *Gammii Sched. de rat. ann. solaris* p. 114.) *Ihre* (*Bref rörande den islandske Edda* p. 26.). *Schlözer* (*Isl. Litt. und Gesch.* S. 128). *Gebhardi* (*Norges Histor.* I. p. 12). *Porthan* (*Diss. de Bircarlis* p. 15.) et q. s. a. Immerito vero *Schlözerus* l. c. sensum cosmologicum, qvem *Ihrius* ei subjecit, tanqvam novum qvoddam repertum stupet et admiratur; eum enim jam vidit *Arngr. Jonæ* tam in *Supplemento Historiæ Norvegiæ* (Mss.) qva in *Crymogæa* p. 52, et facile videbit qvisque lingvæ palæoscandicæ haud prorsus imperitus.

VIII. *Eirbyggia-Saga* "inter antiqvissimas "Historias islandicas numeranda est, ejusqve ar- "gumentum principale forte in litteras primum "relatum ab *Ario Multiscio*, qvi ex ea prosapia "oriundus erat, et vel prædium avitum Helga- "fellum vel Stadarstadum, ubi ejus posteri habi- "tabant, aliqvamdiu incoluit": *F. Joh. Hist. E. Isl.* Tom. IV. Præf.

IX. Primos Islandiæ Episcopos vel etiam *Arium* et *Sæmundum* Epitomes computisticas, e quibus hauserunt auctores *Rymbeglæ* et *Blandæ*, in gratiam Ecclesiæ conscriptas edidisse vero simile videtur *Steph. Biörnonis* (*Præf. ad Rimbeglam, Hafn.* 1780. 4.)

X. Etiam *Viga Glums Sagæ* (*Hafn.* 1786. 4to.) Nostrum fuisse auctorem probare conatur Editor *G. Petersen*, partim ex dictione concisa et rigida, stylo historiæ Gunnlaugi imprimis simili, partim ex eo, qvod *Arius* multa ex Hallo Haukdalensi Glumi Synchrono, et ex Teito, nepote Gissuri Albi, Glumi cognati, discere potuerat.

Sectio Octava.

Ariusne primus Islandiæ Annalista jure salutatur.

Historicorum nostrorum recentiores qvidam, *Isleifum* primum Islandiæ episcopum (n. 1006 † 1080) etiam primum ejus Annalistam fuisse statuerunt. Id vero ut credam, nullo modo adduci possum. *Snorrius* enim *Arium* tanqvam primum patriæ suæ Historicum diserte laudat; ipseqve Noster *Isleifi* sæpe mentionem faciens et auctoritates suas freqventer citans, de scriptis Isleifianis ne verbum qvidem habet. Insuper *Præfatio Vitæ S. Olai* (allegata a *Magnæo* in *comm. ad Schedas*) annos plusqvam CC, ab Islandia inhabitata (A. 874) effluxisse anteqvam historiæ ibi conscribi inceperint, affirmat, (þviat þat var meirr enn CC vetra tiræþ er Island var bygt, aþr menn tæki her Sögur, at rita). In hunc locum ita commentatur *Magnæus* (*l. c.*): "Eadem verba ex "dicta Præfatione allegat *Verelius*. *Not. in Herv.* "S. p. 168 nisi qvod pro *tiræþ* (A. 1074) legat "*tolfræþ* (A. 1114) qvarum lectionum neutra re-"jici potest, cum annus tantum, ante qvem non "coeperint, non ille qvo coeperunt, determinate "hic ponatur, qvamvis ego Verelianam pro cor-

"rectiore habeam, cum vero similius sit præfa-"tionis hujus authorem, eum posuisse terminum "qvi Historiarum scriptionis initia paucis annis, "non vero dimidio seculo aut fere præcessit".

Videmus hinc, omni certo fundamento eam de chronico Isleifiano conjecturam destitutam esse, ideoqve a *Wormio* (*Præf. in Chronic. Claud.*) *Bussæo* (*Sched.* p. 6 k.) *Magnæo*, *Johannæo* (*H. E. Isl.* T. I. p. 266) et pluribus dudum explosam. In hujus vero erroris originem et progressum paulo accuratius inqvirere haud a re alienum duco.

Exstitere jam dudum et adhuc in Bibliothecis asservantur compendia historiæ Norvegiæ recentiora, nomina Isleifi et Arii in fronte præferentia *x*). Ea vero a Chronico Snorriano aliisqve recentiores compilarunt, horum nomina, ne liber anonymus esset, addentes, qvoad *Arium* Præfationem *Heimskringlæ* secuti, et qvoad *Isleifum* unum forte alterumve codicem, jam du-

x) Talia ex Historici alicujus (*Velleji* aut *Svaningii*) Musæo translata in Bibl. Univers. Havn. exstitisse testatur *A. Magnæus*, & inter Mssta Bibl. regiæ in Folio (No. 1014) habetur: *Norwegische Chronica* ad ann. Chr. 1263. perducta Dom. *Islevo* Ep. et Dm. *Aruido* adscripta.

dum inter deperdita numerandum, respicientes; cui Islandus qvidam suam de *Isleifo* authore conjecturam, incertum qvo fundamento nixus, adscripserat; qvemadmodum *Biörnonem de Skardsa* Eddam recentiorem Gunnlaugo Monacho tribuisse novimus. Et hanc conjecturam pro certa et indubia amplexi sunt Historicorum nostrorum seqventes, ordine chronologico recensendi.

I. *Christiernus Petri*, Christiani 2di Historiographus, adversaria qvædam Mssta ad historiam Daniæ antiqvam reliqvit, inter qvæ tractatus qvidam inscriptus: "Den förste Kong Dans Af-"föde som vaare Konger y Sverrige" tale habet exordium: "Der stonder y den gamle Krönike som Biscop *Isleff* screff at Kong Dan &c. *y*). Ex instituta collatione manifestum fit, hoc caput æqve ac seqvens, de Othino, pluraqve hujus codicis ex *Heimskringla* desumta esse, qvæ sem-

y) Exscriptum recentius (*Christierni Petri Kröniker*), qvod e Biblioth. Langebeckiana in Suhmianam transmigravit, *Nyerupius* descripsit *Afhandling om Rigshistoriograph.* p. 59-62. Hunc de R. Dani progenie tractatum a *Lyscandro lib. geneal.* p. 128 citatum dudum periisse credidit *Suhmius Hist. Dan. Crit.* II. p. 28.

per nuncupatur: *Chronicon Norvegicum auctoribus Isleifo et Ario.* Istud vero chronicon procul dubio fuit compendium hist. Norv., qvale nuper descripsi, admodum interpolatum.

II. Chronicon Norvegiæ ab imperito qvodam ex Heimskringla compilatum, & danico idiomate editum (Havn. 1594. 8.) Editor *Janus Martini* f. in Præf. ex *Isleifi* Episc. scriptis, aliisqve Norvegorum chronicis, collectum et conflatum esse tradit, authorem tamen sibi ignotum esse asserit.

III. Istud Martini Chronicon vel Chr. Petri adversaria nimis presse secutus *A. S. Welleius,* ceteroqvin de historia nostra bene meritus, *Heimskringlam Isleifo* et *Ario* tribuit z).

IV. *Petrus Claudii f. Undalinus* in sua *descr. Norv.* p. 167. locum prolixum de Chron. Isleifiano habet, cujus hæc summa est: Prima Islandorum historia *Isleifo* auctore de Haraldo Pulchricomo, ejusqve filius et successoribus usqve ad R. Magnum Olai f. agit, insuperqve nomina eorum, qvi usqve ad illius tempora e Norvegia in Islandiam transmigrassent, horum comitatus, territoria ab ipsis occupata, nec non sinus, freta ceteraqve loca ab iisdem denominata accurate recenset (cfr.

z) Annott. in *Adami Brem. hist. eccles.* (Hafn. 1579.) L. II. c. 28. 29.

ibid. p. 158). Per se patet, *Heimskringlam* ejusqve epitomen hic intelligi non posse. *A. Magnæus* vero colligit de *Historia Olavi Tryggvini* hic sermonem esse, utpote qvæ a Pulchricomo initium sumens Magni Coeci et Haraldi Sigurdi f. tempora attingit, atque ultra sedecim familias aboriginum Islandorum cum occupationibus earum recenset. Ultima qvidem, qvæ de dicto Chronico habet *Claudinus*, melius in librum *Originum Island.* qvadrare videntur, qvam tamen ab *Undalino* indigetari prohibet ipsius definitio, unam saltem historiam et non plures describens, & ita qvoad priorem sui partem dicto chronico neutiqvam congrua. Si Chronicon magnum Norvegiæ p. 143. 155. citatum idem est, ac *chronicon* illud *Isleifianum*, sententiæ *Magnæi* novum additur robur. Prolixa enim de Sigmundo Brestii f. relatio ex eodem p. 143 allegata exstat in *Hist. Ol. Trygg. ed. Schalh.* P. I. p. 101., et æra inhabitatæ Islandiæ cum pluribus huc pertinentibus (p. 154-66.) in eadem (P. II. p. 10.) reperiuntur; constat hinc historiam Olavi Tryggvini Undalino ad manus fuisse et sub titulo *Chronici Norvagiæ* citari, qvam tamen unusqvisqve novit Isleifo multo esse inferiorem.

V. Etiam litteraturæ islandiæ reformator *Arngrimus Jonæ f.* in *Specimine Island. Hist.* p. 79 hæc habet: "Sæmundus hinn Frode, *Arrias* hinn Frode — — uterqve Annalium N. Historiæ-qve Norveg. cum *Isleifo* primo Insulæ episcopo nec non Snorrone Sturlæ f. concinnator.

VI. *Cl. Christoph. Lyscander* de emigratione Longobardorum e Dania, scripta Isleifi citans (*Danske Kongers Slægtebog* P. 268), adversaria Chr. Petri f. respexisse videtur.

VII. *Joh. Messenii Retors. Imposturar. P. P. Rosæfont.* (1612) p. 14. "Atqve Arii plurimos "complexus Svecorum et Norvegorum Reges, "multis abhinc seculis, cujus annales, sicut "etiam Eyvinderi, *Islevus* Norvegiæ Episcopus in "unam redegit Historiæ formam, sub primordio "religionis Christianæ, qvam ex prisco Norvegiæ "Johannes Martini — — evulgavit". Qvis risum tenere potest, hanc mendorum et anachronismorum texturam adspiciens.

VIII. *Biörno de Skardza* in Præf. *Annalium* p. 4. etiam de scriptis Isleifianis somniat.

IX. *Einarus Eyolfi f.* (*Grönlandia Arn. Jonæ, vers. isl.* Scalh. 1688 4. Dedic.) in recensione Annalistarum Islandicorum Isleifo primum locum assignat.

X. *Th. Torfaeus* litem conciliare arbitratus est, statuendo *Arium* ex conjectaneis Isleifianis, ab hujus filio Teito acceptis, multa hausisse; "Ne-"qve enim credendum, famam hanc de *Isleifo* "vanam penitus fuisse" (*Series Reg. Dan.* p. 40. *Hist. Norv.* Prol. fol. B. 1.).

XI. *G. Schönningius* (Præf. in *Ed. Heims-kringl.* T. I. p. XI. scripta *Isleifi* Arianis inserta, et sic oblivioni tradita fuisse statuit.

XII. *J. Langebekius* inter Annalium Islandicorum concinnatores *Isleifum* nominat, fassus tamen, difficile esse dictu qvinam et qvantum cuiqve eorum debeatur (*Scr. Rer. Dan.* T. II. p. 177), et alio loco (ibid. p. 249. b. T. III.) credit J. et annales et conjectanea historica, forte latine consignata, reliqvisse, qvibus *Arius* ceteriqve Islandorum historici usi sint. In hac vero disqvisitione, dicta *A. Magnæi* (*Comm. in Sched.*) respicere necessarium est. "De historiis hic sal-"tem sermo est, cum vix verisimile sit, J. virum "eruditum alios litteras docentem et XXIV anno-"rum Episcopum, et alios doctos viros tot anno-"rum spatio nihil penitus litteris mandasse, sed qvæ "ecclesiastica et Theologica maxime respexisse "credibile est; nec diffidendum, legum islandica-

„rum codicem α) A. 1118. secundum Nostrum „(p. 66) conscriptum Aræ scriptis priorem fuisse".

Appendix.

Kolskeggus et Sæmundus Multiscii, Annalistæ islandici Ario synchroni.

De *Kolskeggo* paucissima sciuntur. Genealogia ejus habetur in Landnamab. P. IV. c. III. p. 284. Patrem habuit Asbiörnum Thorarini f, sororemqve Ingileifam, matrem Halli, aviam Finni Nomophylacis, qvi ad ætatem Nostri cognoscendam qvodammodo facere potuit, si modo annus, qvo nomophylaciam hic aggressus sit, certius nobis constaret. *Annales* vero *Regii* (*S. R. D. T. III.* p. 54), ut etiam marginalia *Landnamæ* (*Ed. Schalh.* p. 131) ejus ad annum 1139 et, *Ann. Islandici* a. *F. Johannæo* (*Hist. E. Isl.* T. I. p. 213) citati, ad Ann. 1140 mentionem faciunt; unde verisimile fit, *Kolskeggum* Sec. XImo vixisse, adeoqve *Ario* coævum fuisse, imo paulo forte vetustiorem. In *Landnama* S. p. 304 *hinn frode* et p. 378 *hinn vitri* salutatur, et qvidem ob scriptum illius de occupatione Islandiæ, qvod

α) Scilicet Codex LL, island. qvi vulgo *Grágás* dicitur & ad A. 1262, qvo Insula subjecta fuit Norvegiæ, auctoritatem habuit publicam.

dictus liber inter scripta refert, qvibus vel mediate vel immediate opus suum superstruxit *Haukus Erlandinus.* Credere licet, *K.* æqve ac *Arium* et ceteros, unicam modo qvadrantem tractandam sibi sumsisse, (*B. a Skardza Ann. Præf.*), Orientalem forte, ubi in Seidisfiörd habitabat avus ejus paternus Thorarinus Asbiörni f. (*Landnamab.* p. 284). Etiam hujus Chronici P. IV. (qvadrantem Orientalem tractans) Cap. V. in ed. Schalh. et altero codice sic oritur "Nu hefur *Kolskeggur* fyrirsagt hedan af um Landnám" ɔ: "Ex hinc Kolskeggus occupationes terræ recensuit". P. IV. c. IX. p. 304. traditur cornu vidisse ab Haraldo Pulchricomo Rollaugo donatum.

De *Sæmundo* cum dissertatio existat *A. Magnæi*, ab *J. Erici* aucta et edita (*Edda Sæm. ed. Hafn.*), Iliada post Homerum condere merito videretur, qvicunqve de vita et scriptis ejus aliqvid litteris mandare vellet; qvo minus vero aliqvis de spicilegio, vel post tales messores instituendo, desperet, vetant duæ Sæmundi allegationes, ab istis duumviris omissæ, qvæ in *Schedis* c. I. p. 8. et *Ann. Isl. Reg.* ad A. 1147 habentur. Cæteroqvin de *annalibus Oddensibus* vide controversias inter *Thunmannum* (*Unters. u. d. Gesch. d. Nord. Völker* p. 211. *Schlözerumqve* (*Isl. Litt. u. Geschichte* P. 165-77.) et de *Edda Sæmundina* opusculum *Adelungii* supra citatum.

